DE

EIS IN ILIADE INCLUSIS

HOMINUM NOMINIBUS

QUAE NON UNICE PROPRIA NOMINA SUNT

DE

EIS IN ILIADE INCLUSIS

HOMINUM NOMINIBUS

QUAE NON UNICE PROPRIA NOMINA SUNT

DISSEREBAT GEORGIUS DOTTIN

IN FACULTATE LITTERARUM REDONICA COLLOQUIORUM MAGISTER

CONDATE REDONUM

APUD PLIHON ET HERVÉ, BIBLIOPOLAS

VIA DICTA MOTTE-FABLET

MDCCCXCVI

DE

EIS IN ILIADE INCLUSIS

HOMINUM NOMINIBUS

QUAE NON UNICE PROPRIA NOMINA SUNT

Disserebat Georgius DOTTIN

IN FACULTATE LITTERARUM REDONICA COLLOQUIORUM MAGISTER

CONDATE REDONUM

APUD PLIHON ET HERVÉ, BIBLIOPOLAS

VIA DICTA MOTTE-FABLET

MDCCCXCVI

D · M · PATRIS · HENRICI · DOTTIN

SOCERO · CARISSIMO · DESIDERIO · DELAVNAY

SACRVM · ESSE · VOLVIT

G · DOTTIN

INDEX LIBRORUM

E QUIBUS UTILITATEM ALIQUAM PERCEPIMUS

ANGERMANN, *De patronymicorum Graecorum formatione* (C. St., t. I, p. 1-61).

BRÉAL, *De Persicis nominibus apud scriptores Graecos*, thesis, Parisiis, 1863.

BRUGMANN, *Griechische Grammatik*, 2te Auflage.

CURTIUS, *Grundzüge der Griechischen Etymologie*, 5te Auflage, Leipzig, 1879.

DINDORF, *Scholia Graeca in Homeri Iliadem*, Oxonii, 1877.

D'HAUCOURT, *De la propriété du nom civil et commercial*, thesis, Rennes, 1891.

EBELING, *Lexicon Homericum*, Lipsiae, 1885.

ESTIENNE, *Thesaurum Graecae linguae* ediderunt Hase, de Sinner et Fix, Parisiis, 1831-1865.

Etymologicon Magnum.

Etymologicon Gudianum.

EUSTATHIUS, *Ad Homeri Iliadem commentarii* ad fidem exemplarii Romani editi, Leipzig, 1827.

FICK (A.), *Beispiele zur Veranschaulichung des Verhältnisses zwischen den Voll- und Kosenamen im griechischen* (C. St., t. VIII, p. 305-313).

FICK (A.), *Beiträge zur griechischen Namensystematik* (C. St., t. VIII, p. 444-448; t. IX, p. 109-111).

FICK (A.), *Die namenartigen Bildungen der griechischen Sprache* (C. St., t. IX, p. 167-198).

FICK (A.), *Die griechischen Personennamen*, Göttingen, 1875; 2te Auflage, bearbeitet von Fritz Bechtel und August Fick, Göttingen, 1894.

GARBE (R.), *Das Accentuationssystem des altindischen Nominalcompositums* (K. Z., t. XXIII, p. 470-518).

GILDERSLEEVE (B. L.), *On the article with proper names* (The American Journal of Philology, t. XI, p. 483).

HEHN, *Kulturpflanzen und Hausthiere in ihrem Uebergang aus Asien nach Griechenland und Italien sowie in das übrige Europa*, 5te Auflage, Berlin, 1887.

HESYCHII *Alexandrini Lexicon*, editionem minorem curavit M. Schmidt, Editio altera, Jenae, 1867.

KÜHNER (R.), *Ausführliche Grammatik der griechischen Sprache.*

LA ROCHE, *Die homerische Textkritik im Alterthum*, Leipzig, 1866.

LAROQUE, *Traité de l'origine des noms et des surnoms*, Paris, 1686.

MEISTER (R.) *Vollname und Kurzname bei denselben Personen überliefert* (B. B., t. XVI, p. 173-174; t. XVII, p. 1-2).

MEYER (G.) *Griechische Grammatik*, 2te Auflage, Leipzig, 1886.

MEYER (L.) *Die homerischen Vaternamen und einige verwandte Bildungen* (B. B., t. IV, p. 1-21).

MONRO, *A grammar of the Homeric dialect*, 2d edition, Oxford, 1891.

PAPE's *Wörterbuch der griechischen Eigennamen*, bearbeitet von G. E. Benseler, Braunschweig, 1863.

POTT, *Die Personennamen, insbesondere die Familiennamen und ihre Entstehungsarten auch unter Berücksichtigung der Ortsnamen*, Leipzig, 1853.

RITTER (E.), *Les noms de famille*, Paris, 1875.

SCHRÖDER (L.), *Die Accentgesetzte der homerischen Nominalcomposita dargestellt und mit denen des Veda verglichen* (K. Z., t. XXIV, p. 101-128).

VANIČEK (Alois), *Fremdwörter im griechischen und lateinischen*, Leipzig, Teubner, 1878.

WHEELER (B. I.), *Der griechische Nominalaccent*, Strassburg, 1885.

WILCKEN, *Aegyptische Eigennamen in griechischen Texten* (Zeitschrift für Aegyptische Sprache, 1884, IV, 159-167).

PROOEMIUM

Quae in Iliade continentur propria personarum nomina numero sunt DCCLII. Numinum et animalium nomina seposuimus ut solis hominum nominibus opus nostrum addiceretur. Inter ea vero nomina, illa elegimus quae non sunt propria tantummodo nomina, cum ea sint natura ut non modo nominandis personis, sed etiam rebus, locis, populis designandis adhiberi soleant : quae nomina numero sunt CLXXXIII.

Si quis neglegentius attenderit aut vocabula potius quam res ipsas respexerit, ibi fortasse duplicis triplicisve operis materiam esse arbitrabitur. Nominibus enim propriis, quae eadem sint ac communia vocabula classem unam instituendam esse judicabit, locorum autem aut populorum nominibus vel classem alteram, vel classes duas alias instituendas. Docent grammatici nostri nominum genera duo esse, unum vocabulorum communium quibus designentur cunctae ejusdem generis res et personae, alterum nominum propriorum quorum singula singulis tantummodo personis conveniant. Ea autem definitio, ut linguam logicae propriam usurpemus, nec *soli*

definito, nec *toti definito* convenit. Soli enim definito non convenit, nam *tellus, sol, luna, caelum* quibus res specie unicae designantur vocabula esse inter nomina propria annumeranda nemo censebit. Totum rursus definitum non complectitur, nam nomina qualia *Gaius*, *Marcus*, *Africanus* non unam tantummodo personam, sed complures designare possunt.

Si quis personarum nomina quae ad rem nostram pertinent sola respexerit, recte definietur nomen proprium vocabulum quoddam quo homo unus ideo designatur ut a ceteris hominibus discernatur. Ubi enim nomine eodem designantur personae complures inter quas confusio quaedam oriri potest, ibi nomen illud aut commutatur addito vocabulo altero cujus significatio magis emineat, aut relinquitur ut in locum ejus nomen aliud succedat.

Communia autem vocabula quae hominum classes designant, velut *mercator*, *sutor* homines singulos adeo non discernunt ut contra singuli in eorum ordinem reponantur qui munus idem exercent. Sic, cum a me *Gaius* nominatur, hominem unum designare volo a ceteris omnibus distinctum quorum unusquisque pariter Gaius nominatur, et rursus cum a me appellatus est *mercator*, tum hominem intellexi munus idem exercentem quod pariter exercent mercatores ceteri.

Inter nomina propria adscribuntur aut saltem adscribi videntur populorum et incolarum nomina : quod sine ulla probabili causa fieri dixerim.

Patriae enim ut artis cujusdam designatione, persona non a ceteris est distincta, sed in classem quamdam quasi adscripta, nec verius dicantur nomina *Romanus, Graecus, Gallus*, *Trojanus* nomina esse propria quam *sutor* aut *mercator* quibus pariter designantur non infinitae personarum classes quaedam. Popu-

lorum ergo nomina quae in homines permultos cadere possunt, non sunt nomina vere propria, quanquam, si ad scriptas litteras respicias, talia nomina a littera majore plerumque initium capiunt, neque ulla causa est cur a vocabulis communibus seponantur. Idem judicandum de nominibus quibus urbium incolae designantur, velut *Athenienses, Corinthii.*

Res autem magis ambigua esse videtur ubi agitur de nominibus urbium fluminumve quae hominibus imposita sunt. Loci enim nomen per se ipsum si perpenderis, tibi manifestum erit nomen id nomen esse proprium eo sensu quem definimus; nam ea nomina ideo creata sunt ut loca plura alia ab aliis distinguerentur. Ut de personarum nominibus nonnunquam effectum est, cum ea quoque nomina non sint numero infinita, fieri potest ut locis diversis nomen idem sit impositum. Urbs una Roma dicitur; octo certe, triginta tres fortasse, Mediolanium aut Mediolanum[1] nominantur. Ex eo quod ea nomina non sint unica, falsum sit concludere singula locis singulis non esse propria, nam in eadem condicione versantur nomina personarum. Sed, si quando nomen loci ideo assumptum est ut non locus ipse sed quadam ellipsim inducendi audacia complures eodem in loco habitantes designarentur, tum nomen id, cum ab hominibus multis haberi possit, suam nominis proprii naturam exuit, inter vocabula communia jam annumerandum. Itaque, re vera, in opere nostro tantummodo de nominibus agitur quae eadem sint ac vocabula communia. Sed non supervacaneum existimavimus, antequam opus ipsum aggrederemur, hujus vocabuli significationem finibus suis de principio circumscripsisse.

1. Longnon, *Les noms de lieu celtiques en France*, Mediolanium, *Revue celtique* t. VIII, p. 374-378.

Hanc operis nostri materiam terminis haud incertis circumscriptam esse primo quidem aspectu dixeris : rem tamen non tam natura sua quam libera scriptoris electione ita definiri posse censemus. Si quis enim Graecis nominibus vel leviter studium dederit, non longa mora erit priusquam animadvertat nullum conjecturae vel divinationi locum in eis nominibus permitti, cum omnia fere claram dilucidamque habeant significationem, permultaque in sermone cotidiano vocabulorum communium partes agant. Quid autem significent nomina quae personas tantummodo designent, adhibita comparatione aut analogia non aegre demonstratur. At fortasse accidit ut in illis Graecorum scriptorum libris qui ad nos venerunt nusquam reperiantur ea nomina, communium vocabulorum partes agentia, etsi non minus quam priora duplici et communium vocabulorum et propriorum nominum condicioni suscipiendae apta fuerint. Ut enim de eis nominibus loquamur quae in Iliade continentur, haud dubie fines ipsa propositi operis natura constitutos sine jure rescinderet si quis studium suum eis tantummodo nominibus addiceret quae in Iliade ipsa communium vocabulorum partes agant. Nam, ut videtur, nullus metus est ne temere affirmandi vitio laboret si quis professus erit ea personarum nomina quae in Iliade continentur, eademque in operibus quae aetatibus posterioribus edita sunt vocabulorum communium partes agentia, talia esse ut duplicem hanc condicionem jam in Iliade ipsa habere potuissent. Rem enim si ab origine repetas, quavis in lingua, proprium personae nomen nihil aliud est nisi vocabulum commune, ideo adhibitum ut, cognominis more, homo unus appelletur. Proprio cuivis nomini, nisi peregrinum sit aut ad similitudinem alterius nominis proprii fictum, ipsa rerum necessitate, nunquam

non suppositum est commune vocabulum alterum, aetate vetustius, specie non dissimile. Quotiescumque id vocabulum commune usitatum esse comprobatum est, etiamsi posterius appareat, tum manifestum est vocabulum commune proprio nomini, patris more, praestitutum esse, et nomen hoc proprium non fictum esse ad similitudinem alterius nominis proprii quod personam designet.

Tunc tantummodo dubitandum est cum vocabulum commune reperitur non apud scriptorem quemvis vel solutae orationis vel carminum, at apud Hesychium aut in Etymologico Magno aut in aliis glossariis quae aestimare et momento suo ponderare haud facile est. Nam interpretationes quaslibet vocabulis nonnunquam adjecisse videntur explicatores cum eas de scriptoribus assumpserint qui plus minus auctoritatis haberent; fieri autem potest ut, prolatis exemplis, nonnulla explanationis confirmandae causa ficta sint. Eorum tamen ratio habenda est, cum glossariorum scriptores, etsi litterati parum sint, multos qui nunc deperditi sunt libros evolvere potuerint, vocabulaque asservare quae nusquam alibi reperirentur. Itaque quaecumque nomina communium vocabulorum partes agentia vel in lexicis, vel apud Graecos scriptores invenimus, cuncta opere nostro complexi sumus, nec metuendum judicavimus ne nimiam congessisse molem nominum videamur.

Immo, nobis conscii sumus nomina quam paucissima opere nostro ita suscepta esse ut nullum admiserimus quod non foret omnino necessarium. Nomina enim permulta quae Iliadis aetate communium vocabulorum partes exsequebantur, e consuetudine aetatum posteriorum fortasse elapsa sunt, et in carmine Iliaco nomen proprium sibi non absimile reliquerunt

quo hominum memoriae revocarentur, quod quidem in Gallico sermone nostro nonnunquam accidisse manifestum est cum vetusta vocabula plurima non jam in usu sint nisi ut, nominum propriorum more, personas designent. Exempla non desunt : tantummodo afferantur *Derain* postremus, cf. Postumum, *Dervé* demens, *Ledru* amicus, *Breuil* nemus, *Bricon* nequam, *Bordier* vilicus, *Dansel* juvenis.

Eadem fere difficultas superanda erit si quis aperire voluerit quamnam significationem habuerint vocabula communia quae propria nomina facta sunt, nam ea significatio temporibus variis varia fuit. Cum igitur ejusmodi nomina in Iliade aut in carminibus Hesiodi aut in Odyssea non reperiuntur, quae poemata aetate aut eadem aut non adeo disparia esse videntur, quonam sensu adhibita sint ambiguum est. An sensum tum habuerint etymologiae propiorem aegre comprobari potest et si quis talem inquisitionem susceperit, illi officient tenebrae eaedem quibus sepulta jacent quaeque ad originem rerum attinent. Cum autem vocabulum in Iliade repertum est, id plerumque providendum, rem ita fortasse se habuisse ut inter significationes vocabuli ejusdem plurimas, non plures quam una aut duae Iliadis versibus referrentur ob eam praecipue causam quod significationes ceteras quamvis usitatissimas nullo unquam poematis loco ipsa orationis continuitas opportunitasve requisierit. Itaque, etiamsi summam impenderis diligentiam ut nihil jam inquirendum relinquatur de significatione quam ejusmodi vocabulum habuerit, ea sui ut ita dicam cursus aetate qua compositum esse carmen Iliacum existimaveris, ipsa rerum necessitas prohibebit ne notitiam vere perfectam assequaris. Immo tunc etiam cum perfectam eam quam diximus notitiam assecutus esses, nondum superata

obstaret difficultas altera inter varios ejusdem vocabuli sensus eum discernendi qui ita electus esset ut eo potissimum suscepto vocabulum commune proprii nominis partes ageret. Eas autem propositae quaestionis ambages inquisitio nulla solvere poterit nisi adhibita sit conjectura, instituta comparatione cum exemplis quorum copiam suppeditaverint linguae aetatesque aliae aliique populi.

Quae sint in Iliade hujus generis nomina requirere opus quidem arduum est et exitus ambigui, quod nos, rati laborem illum irritum fore, suscipere noluimus. Satis sit lectorem admonuisse quos ipsa propositi natura fines incepto nostro statuerit a nobis non expletos fuisse nedum ultra exspatiari tentaverimus.

Hanc nobis licentiam vindicavimus ut patronymicorum vel possessivorum et muliebrium prototypa restitueremus quae per se nusquam in Iliade apparerent, vim individuam praeferentia, ubi proposito nostro congruere judicavimus. Propriis enim Graecorum nominibus declinata nomina informari possunt quae vel filiationem vel possessionem significent, addito aut genitoris aut possessoris nomini uno e postverbiis -ίδης, -άδης, -ίων, -ιος, -εος, exempli gratia :

Δόρυκλον Πριαμίδην νόθον υἱόν Λ 489-490, Ἕκτωρ Πριαμίδης Β 816-817, Αἰνείας τ' Ἀγχισιάδης Ρ 754.

Καπανήιος υἱός Δ 367, Ε 108, 241, Τελαμώνιος Αἴας Β 528, Αἴθην τὴν Ἀγαμεμνονέην Ψ 295.

Saepe evenit ut in Iliade, nisi in patronymico, nusquam reperiatur genitoris nomen. Sic exempli gratia legimus Π 695 Πέριμον Μεγάδην, id est Perimum cujus pater est Μέγας ; Λ 339, 368 Ἀγάστροφον Παιονίδην, Agastrophum cujus pater est Παίων ; Θ 257 Φραδμονίδην Ἀγέλαον Agelaum cujus pater est Phradmon ;

Nomina mulierum perraro primitiva sunt : in Iliade vix paucissima nomina reperiuntur quae ut Ἄλκηστις non praeferant artissimam affinitatem cum nomine virili. Pleraque autem mulierum nomina a nominibus virorum orta sunt, quorum significationem tunc etiam retinent cum ea significatio mulierum moribus naturaque omnino aliena sit. Ita Ἀνδρομάχη, Ἀλκάνδρη, Ἀστυόχη, Εὐρυμέδουσα, Ἱπποδάμεια, Ἰφιάνασσα, Κλεοπάτρη, Λαοδάμεια, Φυλομέδουσα et multa alia nomina certe declinata sunt ab Ἀνδρόμαχος « qui adversus viros pugnat », Ἄλκανδρος « qui viros defendit », Ἀστύοχος « qui urbem protegit », Εὐρυμέδων « qui late regnat », Ἱπποδαμεύς « qui equos domat », Ἰφιάναξ « validus rex », Κλεόπατρος « qui patri decori est », Λαοδαμεύς « qui populum domat », Φυλομέδων « qui tribum regit ». Non necesse est muliebris cujusque nominis virile exemplar invenias. Permulta enim paucorum analogiam secuta sunt. Exempli causa Ἱπποδάμεια, Λαοδάμεια ab Ἱπποδαμεύς, Λαοδαμεύς (quae inveniri non possunt) non declinata sunt, sed cum virilia quaedam nomina sive in -ευ, sive in -ο desinerent, velut Ἅρπαλος, Ἁρπαλεύς ; Μέλανθος, Μελανθεύς ; Πλοῦτος, Πλουτεύς ; -οπος, -οπεύς, ita nominibus muliebribus quae in -η desinerent exitus in -εια adjunctus est, ut juxta Περσεφόνειαν, Περσεφόνην, juxta Ἀστυόχειαν B 658, Ἀστυόχην B 513. Nominum propriorum quae ut Ἀνδρομάχη, Ἀστυόχη, Λαοδίκη, Πολυμήλη, Ὑψιπύλη talia sunt ut virilem tantummodo figuram habeant cum communium vocabulorum partes agunt, virilem formam restituimus ; nam in Graeco sermone paucissima sunt adjectiva vel declinata vel copulata quae muliebrem exitum in -η habeant.

Nonnunquam, cum nomen ipsum nihil aliud est nisi epitheton in eadem lingua usitatum, quonam modo utrumque ab altero discrepet ambiguum est. In Iliade crebra sunt patrony-

mica in -ίων vel in -ίδης, -άδης desinentia quae nominum vices agant; sic, exempli gratia Ἱπποτίων N 792, Ξ 514, cf. Ἱπποτάδην. In nonnullis locis, in quibus nomen vocabulo omnino simile cum patronymico conjunctum est, incertum an patronymicum nominis vim adeptum sit, alterumque verbum vocabulum quoddam sit ad nomen adjunctum. Ita Δ 458 aut Θαλυσιάδην ἐχέπωλον id est Thalysiaden qui pullos equinos possidet aut Θαλυσιάδην Ἐχέπωλον, Echepolum Thalysii filium legere possumus[1]; E 59-60 aut τέκτονος υἱὸν Ἁρμονίδεω, filium opificis Harmonidae, aut Τέκτονος υἱὸν Ἁρμονίδεω filium Tectonis, Harmonis filii[2]; Π 417 aut Ἀργεάδην πολύμηλον Argeaden qui multas oves possidet aut Ἀργεάδην Πολύμηλον Polymelum Argeae filium[3]; Υ 457 aut Δημοῦχον Φιλητορίδην, Demuchum filium Philetoris aut δημοῦχον Φιλητορίδην Philetoriden qui populum tenet. Legitur B 609 aut κρείων Ἀγαπήνωρ rex Agapenor, aut Κρείων ἀγαπήνωρ strenuus Creon. Dubitandum utrum Ἴμβριος Ἠετίων Φ 43 Imbrium Eeti filium designet, an potius Eetionem qui in insula Imbro habitat. Utrum Ω 251 vocabula δῖον ἀγαυόν significent Dium illustrem an divum Agauum (cf. Ω 249 Ἀγάθωνά τε δῖον), ambiguum est. Mirum quidem est eamdem vocem, duobus tantummodo versibus interpositis, hic nominis, ibi vocabuli speciem praeferre.

Fieri igitur potuit ut nonnunquam epithetis quibusdam

1. Scholiastes Veneti libri ad Δ 458 : ὅτι ἄδηλον πότερον κύριον ὁ Θαλυσιάδης ἢ ὁ Ἐχέπωλος.

2. Grashof, *Ueber das Schiff bei Homer und Hesiod*, progr. Düsseldorf, 1834, p. 3, Tectonem Harmonis filium esse existimat, cf. θ 114 : Ἀμφίαλος θ' υἱὸς Πολυνήου Τεκτονίδαο.

3. Scholiastes Veneti libri B ad Iliadem Δ 458 : οὐ χρῆται δὲ πατρωνυμικοῖς ἀντὶ κυρίων, εἰ μὴ ἐπὶ τοῦ Ἀργεάδην πολύμηλον. Cf. *Rhein. Mus.*, t. XIX, 1, p. 228-235. Scholiastes quidam ad Iliadem Π 417 : εἰ δὲ κύριον ὁ Πολύμηλος, ἔσται τὸ Ἀργεάδης πατρωνυμικόν.

nominum propriorum vim tribuerimus. Quotiescumque enim nomen proprium occurrit non solum, sed adjectivo vel patronymico comitante, periculum est ne ea fiat confusio; sic nonnunquam extra fines proposito nostro constitutos fortasse evagati sumus.

Hypocoristicis quoque nominibus tribuendam esse existimaverim difficultatem propositum nostrum finibus suis circumscribendi. Ea autem nomina sunt deminutae quaedam imagines nominum inter confabulantes usitatorum. Ita, quod nomen primo aspectu credideris idem esse ac vocabulum quoddam commune, fortasse re vera nihil aliud est nisi deminuta figura nominis alterius quod integrum duabus partibus constat. Haud dubie eam nomina informandi rationem ad fortunam reicere absurdum foret cum, velut cetera omnia quae ad linguam pertinent, legibus instituatur quas quidem, ut reperire arduum, ita nullas dicere inconsultum est. Nominum autem hypocoristicorum informationem a continuo linguae studio seponere ut in eum castrorum tabernarumque sermonem quem vocamus *argot* rejiciatur, grammatici solent. Quae autem vocabula informavit iste castrorum et tabernarum sermo, etsi de industria et citra naturam ficta sint, e legibus quibusdam creata esse probatum est; velut sermo cotidianus, praeverbiis et postverbiis[1], simplicibus et copulatis et declinatis vocabulis is sermo utitur; in eo non secus atque in ceteris linguis vis analogiae viget[2]. Non magis seponere, et ut

1. Non dubitavimus vocabulum illud confingere ut gallicum *suffixe* latine redderemus, cum Varro vocabulo praeverbii uti soleat, quod nisi forma at saltem notione idem sit ac nostrum *préfixe*, et cum vocabula quam multi confinxerunt *suffixorum* et *praefixorum* nunquam apud Latinos fuerint usitata.

2. M. Schwob et G. Guieysse, *Étude sur l'argot français* (Mémoires de la Société de linguistique de Paris, t. VII, p. 55-56.

ita dicam, a perpetua linguarum philosophia reicere licet eam vocabula informandi consuetudinem qua duo idem significantia inter se coalescant, exempli gratia σπαράσσω a σπάω et ῥάσσω, στόνυξ a στ(ίζω, -ιγεύς) et ὄνυξ, μικύς a (μιν)ύς et μικ(ρός), μυσαχρός a μυσαρός et (αἰ)σχρός et alia multa[1]; ea informatio in provincialibus Galliae nostrae sermonibus usitatissima est. Idem de dissimilatione, quam nonnulli existimaverunt phoneticae legibus alienam esse[2], dicendum est.

Hypocoristicorum nominum informatio plerumque eadem disciplina comprehendenda videtur qua declinatio. Declinatio enim fit non modo cum ad basim quamdam praeverbium aut postverbium adjungitur, sed etiam cum vocabuli figura longior in formam breviorem reducitur velut *emprunt* quod ab *emprunter, nous empruntons* declinatum est, v. fr. *pouiller* quod a *dépouiller* originem ducit. Ἕκατος, epitheton Apollinis Η 83, Υ 295, meo quidem judicio, intellectu omnino caret nisi pro ἑκατηβόλος Α 370, Ε 444, Π 711, Ρ 333 positum sit, vel quodam modo ab ἑκατηβόλος declinatum[3]. De illa re hactenus, eam enim ex omnibus partibus considerare et pluribus verbis explicare oporteret quam in hac digressione nobis licet. Illa tantummodo nomina hypocoristica afferamus quae ad nomina copulata certe referenda sunt cum apud scriptores Graecos et forma breviori et forma longiori ejusdem nominis idem homo designetur[4].

1. J. Josel, *Le redoublement de l'idée dans les composés* (*Annales de Bretagne*, t. XI).
2. M. Grammont, *La dissimilation consonantique*, p. 9-10.
3. Non nomina tantummodo, sed etiam vocabula hypocoristica esse demonstraverunt Zimmer, K. Z., t. XXXII, et Schulze, K. Z., t. XXXIII, p. 401.
4. Cf. Meister, B. B., t. XVI, p. 173-174; t. XVIII, p. 1-2; Fick und Bechtel, *Die griechischen Personennamen*, p. 33-37; Zimmer, K. Z., t. XXXII, p. 158.

forma longior	Μενέστρατος	brevior	Μενεστᾶς
	Δημόφιλος		Δημοφῶν
	Ἰοβάτης		Ἰόβης
	Ἀλέξανδρος		Ἀλεξᾶς
	Ἀμύνανδρος		Ἀμυνᾶς
	Σκαμανδρώνυμος		Σκάμων

Permulta hypocoristica ita informantur.

Alia vero vel priorem, vel posteriorem nominis copulati partem retinent; exempli causa :

Μνασιδίκα	Δίκα
Πολυφράδμων	Φράδμων
Ἡγησίλεως	Ἆγις
Πυθοκλῆς	Πυθέας

Cum nominis copulati pars utraque notionem claram et dilucidam inducat, et pars utraque, nulla aut minima mutatione facta, vocabuli vim habeat, Graecos opinor hominem alterutra nominis parte appellavisse.

Ab hypocoristico nomine nomen distinguere quod idem sit ac vocabulum commune quoddam arduum est, nisi obvia sit causa aliqua credendi nomen adesse e duabus partibus compositum, sub figura deminuta. Utcumque res se habeat, nihil est quod comprobet hypocoristicam informationem longe frequentiorem fuisse apud Graecos quam in lingua nostra ubi nominum genus edidit satis exiguum[1]. Talia nomina si in consuetudine sermonis cotidiani frequentia fuissent, permulta sine dubio ad nos tulisset Graeca comoedia. Apud Aristophanem

1. Cf. Mowat, *Mémoires de la Société de linguistique,* I, 161. Ritter, *Les noms de famille,* p. 7-17.

Hanc operis nostri materiam terminis haud incertis circumscriptam esse primo quidem aspectu dixeris : rem tamen non tam natura sua quam libera scriptoris electione ita definiri posse censemus. Si quis enim Graecis nominibus vel leviter studium dederit, non longa mora erit priusquam animadvertat nullum conjecturae vel divinationi locum in eis nominibus permitti, cum omnia fere claram dilucidamque habeant significationem, permultaque in sermone cotidiano vocabulorum communium partes agant. Quid autem significent nomina quae personas tantummodo designent, adhibita comparatione aut analogia non aegre demonstratur. At fortasse accidit ut in illis Graecorum scriptorum libris qui ad nos venerunt nusquam reperiantur ea nomina, communium vocabulorum partes agentia, etsi non minus quam priora duplici et communium vocabulorum et propriorum nominum condicioni suscipiendae apta fuerint. Ut enim de eis nominibus loquamur quae in Iliade continentur, haud dubie fines ipsa propositi operis natura constitutos sine jure rescinderet si quis studium suum eis tantummodo nominibus addiceret quae in Iliade ipsa communium vocabulorum partes agant. Nam, ut videtur, nullus metus est ne temere affirmandi vitio laboret si quis professus erit ea personarum nomina quae in Iliade continentur, eademque in operibus quae aetatibus posterioribus edita sunt vocabulorum communium partes agentia, talia esse ut duplicem hanc condicionem jam in Iliade ipsa habere potuissent. Rem enim si ab origine repetas, quavis in lingua, proprium personae nomen nihil aliud est nisi vocabulum commune, ideo adhibitum ut, cognominis more, homo unus appelletur. Proprio cuivis nomini, nisi peregrinum sit aut ad similitudinem alterius nominis proprii fictum, ipsa rerum necessitate, nunquam

non suppositum est commune vocabulum alterum, aetate vetustius, specie non dissimile. Quotiescumque id vocabulum commune usitatum esse comprobatum est, etiamsi posterius appareat, tum manifestum est vocabulum commune proprio nomini, patris more, praestitutum esse, et nomen hoc proprium non fictum esse ad similitudinem alterius nominis proprii quod personam designet.

Tunc tantummodo dubitandum est cum vocabulum commune reperitur non apud scriptorem quemvis vel solutae orationis vel carminum, at apud Hesychium aut in Etymologico Magno aut in aliis glossariis quae aestimare et momento suo ponderare haud facile est. Nam interpretationes quaslibet vocabulis nonnunquam adjecisse videntur explicatores cum eas de scriptoribus assumpserint qui plus minus auctoritatis haberent; fieri autem potest ut, prolatis exemplis, nonnulla explanationis confirmandae causa ficta sint. Eorum tamen ratio habenda est, cum glossariorum scriptores, etsi litterati parum sint, multos qui nunc deperditi sunt libros evolvere potuerint, vocabulaque asservare quae nusquam alibi reperirentur. Itaque quaecumque nomina communium vocabulorum partes agentia vel in lexicis, vel apud Graecos scriptores invenimus, cuncta opere nostro complexi sumus, nec metuendum judicavimus ne nimiam congessisse molem nominum videamur.

Immo, nobis conscii sumus nomina quam paucissima opere nostro ita suscepta esse ut nullum admiserimus quod non foret omnino necessarium. Nomina enim permulta quae Iliadis aetate communium vocabulorum partes exsequebantur, e consuetudine aetatum posteriorum fortasse elapsa sunt, et in carmine Iliaco nomen proprium sibi non absimile reliquerunt

H 15 Ἰφίνοον Δεξιάδην Iphinoum cujus pater est Dexius; T 240 Κρειοντιάδην Λυκομήδεα Lycomedem cujus pater est Creon; legitur B 541 Χαλκωδοντιάδης Ἐλεφήνωρ, Elephenor cujus pater est Chalcodon. Quod attinet ad singula hujusmodi patronymica, patris nomen restituimus quod idem sit ac vocabulum commune aut loci populive nomen quoddam.

Plerumque nomini proprio adsuitur patronymicum ut significationem certiorem efficiat. Sed etiam fieri potest ut patronymica pro nominibus posita sint cum patronymica quaedam nominum vim adepta sint. Ita Ἁρπαλίων, N 643-644 filius est Pylaemenis, υἱὸς Πυλαιμένεος, non Harpali; Βουκολίων Z 23, filius Laomedontis, υἱὸς ἀγαυοῦ Λαομέδοντος, non Bucoli; Γοργυθίων Θ 302, filius Priami, non Gorgythi. In eis nominibus adeo obsoleta erat patronymica significatio ut nonnunquam quaedam cognationis indicia nomini subjungerentur, quod exemplis jam allatis comprobatur. Attamen, si rem ab origine repetas, haud dubie Ἁρπαλίων a nomine Ἅρπαλος declinatum est, Βουκολίων a Βούκολος, (O 338 Βουκολίδαο Σφήλοιο), Γοργυθίων a Γόργυθος. Prototypa Ἅρπαλος, Βούκολος, Γόργυθος, utpote quae ad opus nostrum pertinerent, restituenda decrevimus.

Etsi nullo argumento comprobari potest rem ita se habuisse, non est incredibile eis vocabulis adjunctam fuisse syllabam -ίων qua significaretur cognationis societas quaevis alia atque ea qua inter se consociantur pater et filius. Nomina enim nonnulla desinentia in -ίδης velut exempli gratia Αἰακίδης ab avo, non a patre sunt declinata. In Iliade nomina quaedam desinentia in-ίων societatem etiam remotiorem commemorant: sic Καδμείωνες dicuntur qui a Cadmo, Δαρδανίωνες qui a Dardano genus ducunt.

obstaret difficultas altera inter varios ejusdem vocabuli sensus eum discernendi qui ita electus esset ut eo potissimum suscepto vocabulum commune proprii nominis partes ageret. Eas autem propositae quaestionis ambages inquisitio nulla solvere poterit nisi adhibita sit conjectura, instituta comparatione cum exemplis quorum copiam suppeditaverint linguae aetatesque aliae aliique populi.

Quae sint in Iliade hujus generis nomina requirere opus quidem arduum est et exitus ambigui, quod nos, rati laborem illum irritum fore, suscipere noluimus. Satis sit lectorem admonuisse quos ipsa propositi natura fines incepto nostro statuerit a nobis non expletos fuisse nedum ultra exspatiari tentaverimus.

Hanc nobis licentiam vindicavimus ut patronymicorum vel possessivorum et muliebrium prototypa restitueremus quae per se nusquam in Iliade apparerent, vim individuam praeferentia, ubi proposito nostro congruere judicavimus. Propriis enim Graecorum nominibus declinata nomina informari possunt quae vel filiationem vel possessionem significent, addito aut genitoris aut possessoris nomini uno e postverbiis -ίδης, -άδης, -ίων, -ιος, -εος, exempli gratia :

Δόρυκλον Πριαμίδην νόθον υἱόν Λ 489-490, Ἕκτωρ Πριαμίδης B 816-817, Αἰνείας τ' Ἀγχισιάδης P 754.

Καπανήιος υἱός Δ 367, E 108, 241, Τελαμώνιος Αἴας B 528, Αἴθην τὴν Ἀγαμεμνονέην Ψ 295.

Saepe evenit ut in Iliade, nisi in patronymico, nusquam reperiatur genitoris nomen. Sic exempli gratia legimus Π 695 Πέριμον Μεγάδην, id est Perimum cujus pater est Μέγας ; Λ 339, 368 Ἀγάστροφον Παιονίδην, Agastrophum cujus pater est Παίων ; Θ 257 Φραδμονίδην Ἀγέλαον Agelaum cujus pater est Phradmon ;

H 15 Ἰφίνοον Δεξιάδην Iphinoum cujus pater est Dexius; T 240 Κρειοντιάδην Λυκομήδεα Lycomedem cujus pater est Creon; legitur B 541 Χαλκωδοντιάδης Ἐλεφήνωρ, Elephenor cujus pater est Chalcodon. Quod attinet ad singula hujusmodi patronymica, patris nomen restituimus quod idem sit ac vocabulum commune aut loci populive nomen quoddam.

Plerumque nomini proprio adsuitur patronymicum ut significationem certiorem efficiat. Sed etiam fieri potest ut patronymica pro nominibus posita sint cum patronymica quaedam nominum vim adepta sint. Ita Ἁρπαλίων, N 643-644 filius est Pylaemenis, υἱὸς Πυλαιμένεος, non Harpali; Βουκολίων Z 23, filius Laomedontis, υἱὸς ἀγαυοῦ Λαομέδοντος, non Bucoli; Γοργυθίων Θ 302, filius Priami, non Gorgythi. In eis nominibus adeo obsoleta erat patronymica significatio ut nonnunquam quaedam cognationis indicia nomini subjungerentur, quod exemplis jam allatis comprobatur. Attamen, si rem ab origine repetas, haud dubie Ἁρπαλίων a nomine Ἅρπαλος declinatum est, Βουκολίων a Βούκολος, (O 338 Βουκολίδαο Σφήλοιο), Γοργυθίων a Γόργυθος. Prototypa Ἅρπαλος, Βούκολος, Γόργυθος, utpote quae ad opus nostrum pertinerent, restituenda decrevimus.

Etsi nullo argumento comprobari potest rem ita se habuisse, non est incredibile eis vocabulis adjunctam fuisse syllabam -ίων qua significaretur cognationis societas quaevis alia atque ea qua inter se consociantur pater et filius. Nomina enim nonnulla desinentia in -ίδης velut exempli gratia Αἰακίδης ab avo, non a patre sunt declinata. In Iliade nomina quaedam desinentia in-ίων societatem etiam remotiorem commemorant: sic Καδμείωνες dicuntur qui a Cadmo, Δαρδανίωνες qui a Dardano genus ducunt.

Nomina mulierum perraro primitiva sunt : in Iliade vix paucissima nomina reperiuntur quae ut Ἄλκηστις non praeferant artissimam affinitatem cum nomine virili. Pleraque autem mulierum nomina a nominibus virorum orta sunt, quorum significationem tunc etiam retinent cum ea significatio mulierum moribus naturaque omnino aliena sit. Ita Ἀνδρομάχη, Ἀλκάνδρη, Ἀστυόχη, Εὐρυμέδουσα, Ἱπποδάμεια, Ἰφιάνασσα, Κλεοπάτρη, Λαοδάμεια, Φυλομέδουσα et multa alia nomina certe declinata sunt ab Ἀνδρόμαχος « qui adversus viros pugnat », Ἄλκανδρος « qui viros defendit », Ἀστύοχος « qui urbem protegit », Εὐρυμέδων « qui late regnat », Ἱπποδαμεύς « qui equos domat », Ἰφιάναξ « validus rex », Κλεόπατρος « qui patri decori est », Λαοδαμεύς « qui populum domat », Φυλομέδων « qui tribum regit ». Non necesse est muliebris cujusque nominis virile exemplar invenias. Permulta enim paucorum analogiam secuta sunt. Exempli causa Ἱπποδάμεια, Λαοδάμεια ab Ἱπποδαμεύς, Λαοδαμεύς (quae inveniri non possunt) non declinata sunt, sed cum virilia quaedam nomina sive in -ευ, sive in -ο desinerent, velut Ἅρπαλος, Ἁρπαλεύς ; Μέλανθος, Μελανθεύς ; Πλοῦτος, Πλουτεύς ; -οπος, -οπεύς, ita nominibus muliebribus quae in -η desinerent exitus in -εια adjunctus est, ut juxta Περσεφόνειαν, Περσεφόνην, juxta Ἀστυόχειαν B 658, Ἀστυόχην B 513. Nominum propriorum quae ut Ἀνδρομάχη, Ἀστυόχη, Λαοδίκη, Πολυμήλη, Ὑψιπύλη talia sunt ut virilem tantummodo figuram habeant cum communium vocabulorum partes agunt, virilem formam restituimus ; nam in Graeco sermone paucissima sunt adjectiva vel declinata vel copulata quae muliebrem exitum in -η habeant.

Nonnunquam, cum nomen ipsum nihil aliud est nisi epitheton in eadem lingua usitatum, quonam modo utrumque ab altero discrepet ambiguum est. In Iliade crebra sunt patrony-

mica in -ίων vel in -ίδης, -άδης desinentia quae nominum vices agant; sic, exempli gratia Ἱπποτίων N 792, Ξ 514, cf. Ἱπποτάδην. In nonnullis locis, in quibus nomen vocabulo omnino simile cum patronymico conjunctum est, incertum an patronymicum nominis vim adeptum sit, alterumque verbum vocabulum quoddam sit ad nomen adjunctum. Ita Δ 458 aut Θαλυσιάδην ἐχέπωλον id est Thalysiaden qui pullos equinos possidet aut Θαλυσιάδην Ἐχέπωλον, Echepolum Thalysii filium legere possumus[1]; E 59-60 aut τέκτονος υἱὸν Ἁρμονίδεω, filium opificis Harmonidae, aut Τέκτονος υἱὸν Ἁρμονίδεω filium Tectonis, Harmonis filii[2]; Π 417 aut Ἀργεάδην πολύμηλον Argeaden qui multas oves possidet aut Ἀργεάδην Πολύμηλον Polymelum Argeae filium[3]; Υ 457 aut Δημοῦχον Φιλητορίδην, Demuchum filium Philetoris aut δημοῦχον Φιλητορίδην Philetoriden qui populum tenet. Legitur B 609 aut κρείων Ἀγαπήνωρ rex Agapenor, aut Κρείων ἀγαπήνωρ strenuus Creon. Dubitandum utrum Ἴμβριος Ἠετίων Φ 43 Imbrium Eeti filium designet, an potius Eetionem qui in insula Imbro habitat. Utrum Ω 251 vocabula δῖον ἀγαυόν significent Dium illustrem an divum Agauum (cf. Ω 249 Ἀγάθωνά τε δῖον), ambiguum est. Mirum quidem est eamdem vocem, duobus tantummodo versibus interpositis, hic nominis, ibi vocabuli speciem praeferre.

Fieri igitur potuit ut nonnunquam epithetis quibusdam

1. Scholiastes Veneti libri ad Δ 458 : ὅτι ἄδηλον πότερον κύριον ὁ Θαλυσιάδης ἢ ὁ Ἐχέπωλος.

2. Grashof, *Ueber das Schiff bei Homer und Hesiod*, progr. Düsseldorf, 1834, p. 3, Tectonem Harmonis filium esse existimat, cf. Θ 114 : Ἀμφίαλος θ' υἱὸς Πολυνήου Τεκτονίδαο.

3. Scholiastes Veneti libri B ad Iliadem Δ 458 : οὐ χρῆται δὲ πατρωνυμικοῖς ἀντὶ κυρίων, εἰ μὴ ἐπὶ τοῦ Ἀργεάδην πολύμηλον. Cf. *Rhein. Mus.*, t. XIX, 1, p. 228-235. Scholiastes quidam ad Iliadem Π 417 : εἰ δὲ κύριον ὁ Πολύμηλος, ἔσται τὸ Ἀργεάδης πατρωνυμικόν.

nominum propriorum vim tribuerimus. Quotiescumque enim nomen proprium occurrit non solum, sed adjectivo vel patronymico comitante, periculum est ne ea fiat confusio; sic nonnunquam extra fines proposito nostro constitutos fortasse evagati sumus.

Hypocoristicis quoque nominibus tribuendam esse existimaverim difficultatem propositum nostrum finibus suis circumscribendi. Ea autem nomina sunt deminutae quaedam imagines nominum inter confabulantes usitatorum. Ita, quod nomen primo aspectu credideris idem esse ac vocabulum quoddam commune, fortasse re vera nihil aliud est nisi deminuta figura nominis alterius quod integrum duabus partibus constat. Haud dubie eam nomina informandi rationem ad fortunam reicere absurdum foret cum, velut cetera omnia quae ad linguam pertinent, legibus instituatur quas quidem, ut reperire arduum, ita nullas dicere inconsultum est. Nominum autem hypocoristicorum informationem a continuo linguae studio seponere ut in eum castrorum tabernarumque sermonem quem vocamus *argot* rejiciatur, grammatici solent. Quae autem vocabula informavit iste castrorum et tabernarum sermo, etsi de industria et citra naturam ficta sint, e legibus quibusdam creata esse probatum est; velut sermo cotidianus, praeverbiis et postverbiis[1], simplicibus et copulatis et declinatis vocabulis is sermo utitur; in eo non secus atque in ceteris linguis vis analogiae viget[2]. Non magis seponere, et ut

1. Non dubitavimus vocabulum illud confingere ut gallicum *suffixe* latine redderemus, cum Varro vocabulo praeverbii uti soleat, quod nisi forma at saltem notione idem sit ac nostrum *préfixe*, et cum vocabula quam multi confinxerunt *suffixorum* et *praefixorum* nunquam apud Latinos fuerint usitata.

2. M. Schwob et G. Guieysse, *Étude sur l'argot français* (Mémoires de la Société de linguistique de Paris, t. VII, p. 55-56.

vero unum tantum legitur hypocoristicum nomen, Ἰσμηνίας quod ab Ἰσμήνιχος[1] oritur. Accedit quod manifesto Μέδων, Φράδμων, Γλαῦκος exstiterunt antequam essent Εὐρυμέδων, Πολυφράδμων, Γλαύκιππος, nec facile crediderim Μέδων, Φράδμων, Γλαῦκος nihil esse nisi formam hypocoristicam nominum copulatorum Εὐρυμέδων, Ἀλκιμέδων, Γλαύκιππος.

Postquam materiam nostram finibus suis ita circumscripsimus, quid sit quod amplexi sumus jam nunc quaerendum.

Si quis, electa quadam aetate, quaesierit quaenam fuerit eo potissimum tempore nominum summa apud populum quemdam hominibus designandis adhibitorum, ei tunc apparebit ea nomina inter duo genera dividi posse. Alia enim, cum sint aut eadem ac vocabula communia vel nomina locorum apud populum nondum obsoleta, aut saltem eis nominibus cognata, significationem habent non ambiguam. Alia contra nullam habent significationem et nihil animo ostendere possunt nisi personam ipsam quam designant. Eorum autem nominum alia sunt origine peregrina, alia ex ea quidem lingua orta sunt qua utitur populus apud quem usurpantur, sed e consuetudine jampridem ceciderunt.

At eam distinctionem primo quidem aspectu manifestam, non tam e rebus ipsis quam e rerum specie constare merito dixeris. Etsi enim proprii cujusdam nominis significatio est perspicua, oblivione tamen mox premitur, nam ea mentis inclinatio est ut pro notione quam nomen exprimit ipsam potius personam intellegat cujus unum tantummodo animi vel corporis bonum malumve nomine significatur. Praeterea nomen aetate quadam significans post annos paucos ubi nemo

1. *Acharnenses*, 861, 954.

forma longior	Μενέστρατος	brevior	Μενεστᾶς
	Δημόφιλος		Δημοφῶν
	Ἰοβάτης		Ἰόβης
	Ἀλέξανδρος		Ἀλεξᾶς
	Ἀμύνανδρος		Ἀμυνᾶς
	Σκαμανδρώνυμος		Σκάμων

Permulta hypocoristica ita informantur.

Alia vero vel priorem, vel posteriorem nominis copulati partem retinent ; exempli causa :

Μνασιδίκα	Δίκα
Πολυφράδμων	Φράδμων
Ἡγησίλεως	Ἆγις
Πυθοκλῆς	Πυθέας

Cum nominis copulati pars utraque notionem claram et dilucidam inducat, et pars utraque, nulla aut minima mutatione facta, vocabuli vim habeat, Graecos opinor hominem alterutra nominis parte appellavisse.

Ab hypocoristico nomine nomen distinguere quod idem sit ac vocabulum commune quoddam arduum est, nisi obvia sit causa aliqua credendi nomen adesse e duabus partibus compositum, sub figura deminuta. Utcumque res se habeat, nihil est quod comprobet hypocoristicam informationem longe frequentiorem fuisse apud Graecos quam in lingua nostra ubi nominum genus edidit satis exiguum[1]. Talia nomina si in consuetudine sermonis cotidiani frequentia fuissent, permulta sine dubio ad nos tulisset Graeca comoedia. Apud Aristophanem

1. Cf. Mowat, *Mémoires de la Société de linguistique*, I, 161. Ritter, *Les noms de famille*, p. 7-17.

vero unum tantum legitur hypocoristicum nomen, Ἰσμηνίας quod ab Ἰσμήνιχος[1] oritur. Accedit quod manifesto Μέδων, Φράδμων, Γλαῦκος exstiterunt antequam essent Εὐρυμέδων, Πολυφράδμων, Γλαύκιππος, nec facile crediderim Μέδων, Φράδμων, Γλαῦκος nihil esse nisi formam hypocoristicam nominum copulatorum Εὐρυμέδων, Ἀλκιμέδων, Γλαύκιππος.

Postquam materiam nostram finibus suis ita circumscripsimus, quid sit quod amplexi sumus jam nunc quaerendum.

Si quis, electa quadam aetate, quaesierit quaenam fuerit eo potissimum tempore nominum summa apud populum quemdam hominibus designandis adhibitorum, ei tunc apparebit ea nomina inter duo genera dividi posse. Alia enim, cum sint aut eadem ac vocabula communia vel nomina locorum apud populum nondum obsoleta, aut saltem eis nominibus cognata, significationem habent non ambiguam. Alia contra nullam habent significationem et nihil animo ostendere possunt nisi personam ipsam quam designant. Eorum autem nominum alia sunt origine peregrina, alia ex ea quidem lingua orta sunt qua utitur populus apud quem usurpantur, sed e consuetudine jampridem ceciderunt.

At eam distinctionem primo quidem aspectu manifestam, non tam e rebus ipsis quam e rerum specie constare merito dixeris. Etsi enim proprii cujusdam nominis significatio est perspicua, oblivione tamen mox premitur, nam ea mentis inclinatio est ut pro notione quam nomen exprimit ipsam potius personam intellegat cujus unum tantummodo animi vel corporis bonum malumve nomine significatur. Praeterea nomen aetate quadam significans post annos paucos ubi nemo

1. *Acharnenses*, 861, 954.

jam memoria tenebit quamnam ob causam sit impositum intellectu omnino carebit. Nomen denique peregrinum idem et Graeco audiente nihil significabit, et rursus a barbaro intellegetur.

Nominum Graecorum, quorum genus unum sit significans, alterum genus, ut dicunt grammatici nostri, mere phoneticum, speciem genuinam invenire non ambiguum est. Quae generi priori sunt adscribenda, a Graecis eo tempore quo editum est carmen Iliacum intellecta fuisse nemo negabit. Quae generi alteri sunt tribuenda, pleraque origine sunt peregrina. Captivi et hospites inter Graecos nomina nova afferebant quae fortasse singulis domibus aut simul ac nomina gentilicia, aut omissis nominibus gentiliciis excipi potuere. Nonnulla etiam etsi origine Graeca erant jam non intellegebantur, quia vocabula a quibus fuerant assumpta cum consenuissent novo aliorum vocabulorum proventu quasi expulsa fuerant.

Aliud est nominibus propriis studere quae in Homericis poematibus inveniuntur, aliud omnino iis nominibus attendere quae vel in titulis vel in annalibus usurpata sunt. Itaque in editione recentiore operis quod Fickius composuit[1], illa nomina quae apud poetas reperiuntur non sine causa seposita sunt et sub hoc titulo consociata : *de heroicis nominibus.* Haud dubie enim rem omnino ambiguam et periculosam suscipiet si quis de nominibus propriis inquisiturus opus elegerit poetica ingenii virtute excogitatum qua nomina fortasse aut ficta, aut temere mutata esse suspicandum est. Quotiescumque de populis agitur parum notis, quorum in nominibus infor-

1. *Die Griechischen Personennamen*, nach ihrer Bildung erklärt und systematisch geordnet von August Fick, Zweite Auflage bearbeitet von Fritz Bechtel und August Fick. Göttingen, 1894.

mandis consuetudo ignoratur, tum citra omnem analogiae rationem nomina excogitantur quae scriptor peregrinitatem quamdam redolere arbitratur; quamdiu rebus historicis philosophica ratio non adhibita est, hanc fingendi licentiam ab omnibus usurpatam esse manifestum est, neque ullum unquam vel fuisse vel futurum esse crediderim qui de nominibus Arabum inquisitionem instituturus Sarracenorum nomina in *carmine de Hruodlando* aut in *Hierosolyma liberata* sibi assumenda esse censeat. Ita Trojanorum nominibus, auctore Homero aut quicumque est Iliadis scriptore, dare operam incertum ambiguumque judicamus.

Etiamsi poetam qui Iliadem composuit in historia recte sapuisse, diligentemque rerum vetustate obsoletarum exactorem fuisse creditur, concedendum tamen paucos inter heroas qui in bello Trojano primas partes egerint ei fortasse nominatim notos esse, ignota vero haud dubie singula plebis Trojanae nomina. Rem ita se habere ideo comprobatur quod nomine eodem et Graecus et Lycius et Trojanus homo appellantur. Exempli gratia afferatur Ἀλάστωρ Pylius Δ 295, Lycius E 677, Trojanus Υ 463.

Ea fortasse suspicio orietur, Trojanorum et Lyciorum nomina quae sunt in Iliade in sermonem Graecum translata esse; haud aliter fabulis anglicis quas edidit Fenimore Cooper hanc consuetudinem desumpsimus ut genuinam Americanorum nominum figuram non retineremus, quorum in locum nomina induximus quae Gallicam formam praeferentia, indigetibus Americae nominibus responderent. Sed Graecis cum adhibenda erant sive nomina pertinentia ad linguam populorum qui in Asia inhabitant, sive Gallorum, Latinorum aut Thracum nomina, aliena fuisse videtur ea nostratum consuetudo. Cum

Persarum[1], tum Aegyptiorum[2] nomina nobis tradiderunt quae formam aut genuinam aut genuinae formae simillimam retinerent. Si quis nominibus Gallicis operam dare voluerit, fontem nullum inveniet Graecis operibus uberiorem plurisve aestimandum; Thracum quoque nomina pleraque a scriptoribus Graecis nobis tradita sunt[3] : profecto inter Graecos nunquam viguit consuetudo nomina peregrina in Graecum sermonem transferendi.

At enim is quicumque fuit qui Iliadem composuit, de hoc fortasse rationem et viam sibi propriam consulto elegit. Sed hujus modi consilium si excogitavisset, in eo ita perseverasset ut sibi constare videretur; res autem aliter se habet. Nam si, ut Πάρις, Ἀσσάρακος, Δάρδανος, Σαρπηδών, Πρίαμος, nonnulla Trojanorum ducum nomina peregrina esse videntur, Trojanorum aut Lyciorum nominum pleraque nihil aliud sunt nisi Graeca nomina. Si exceptus erit Ἕκτωρ, apparebit nomina peregrina tantummodo designandis ducibus aut regibus adhibita esse, Graeca autem nomina minoribus regibus aut militibus. Poeta enim si nomina nonnulla e sermone peregrino in Graecum transtulisset, profecto earum personarum quae clarissimae essent, non autem militum obscurorum nomina (quae haud dubie ipsi ignota essent) transferenda potissimum elegisset. Attamen, si nomen unum aut in Graecum sermonem translatum sit aut populari interpretatione ita corruptum ut Graeco nomini simillimum evaderet, nihil obstat quominus nomen Hectoris hanc originem habuisse credatur. Alterum

1. Bréal, *De Persicis nominibus apud scriptores Graecos.*
2. Wilcken, *Aegyptische Eigennamen in griechischen Texten,* (Zeitschrift für Aegyptische Sprache, 1884, t. IV, p. 159-167).
3. Fick, *Beiträge zur vergleichenden Sprachforschung,* t. VII, p. 358-384; — *Die ehemalige Spracheinheit der Indogermanen Europas,* p. 408-423.

fortasse exemplum nominis peregrini in Graecum sermonem translati suppeditat Ilias : nomen enim Paridis ad Zendicam linguam referendum in qua *par, pere* significat *pugnare*, Graecam interpretationem 'Αλέξανδρον fortasse genuit. Nam hoc animadvertendum est, nomen 'Αλέξανδρος cum nusquam nomini Πάρις adjungatur, non esse epitheton. Ille Helenae maritus qui belli Trojani auctor fuit, nunc Πάρις, nunc 'Αλέξανδρος appellatur. Dum autem nomen Trojanum Πάρις simul ac Graeca ejusdem nominis interpretatio 'Αλέξανδρος ad nos venisset, frater ejus Ἕκτωρ tantummodo Graecam Trojani nominis interpretationem retinuisset. Itaque credere licet inter nomina quibus designantur viri in Iliade praecipui unum et alterum esse a scriptore in Graecum versa. At de militibus obscuris eamdem rationem adhibitam esse nullis alicujus momenti argumentis confirmari possit. Pleraque igitur nomina quae singulos aut Trojanos, aut Lycios, aut socios designant, proprio poetae ingenio ficta esse censemus.

Quid autem de illis nominibus omnino fictis judicandum, utrum cum consuetudine Iliadis aetatis congruant, an contra nihil nisi procreatricem ingenii poetici vim referant, nulla ratione confirmari potest. Iliadis enim aetatis nomina posterioribus aetatibus usitata sunt[1], sed cum constet iis temporibus omni liberalium artium studio et doctrinae quasi fundamentum subesse assiduam Homericorum poematum commentationem, dubitari potest an illa nomina ob eam causam ipsam assumpta sint quod aetatis Homericae memoriam revocarent. At, si nomina quae in Iliade leguntur cum ceteris nominibus inter Graecos usitatis contuleris, tum apparebit tibi nullam

1. Fick, *Die griechischen Personennamen*, 2te Auflage, p. 307-313.

esse causam cur credatur in fingendis personarum nominibus aliam a scriptore Iliadis rationem consulto electam esse, aliam Graecorum consuetudine esse usurpatam.

Ut animadvertit quidam, in locum nominum nihil proprium finitivumve significantium quibus personae denuntiantur quae τροφοί, ἄγγελοι, κήρυκες, παιδαγωγοί, πρεσβύται dictae minimi momenti partes in tragoedia Graeca vel in comoedia agunt, nomina peculiaria epicorum carminum poetae supposuerunt[1] quae incautus quivis aestimator vere propria nomina esse censeat. Ita, cum in Odyssea, tum in Iliade, inveniuntur artifex nomine Ἅρμων (qui adaptat, cf. ἁρμός, ἀραρίσκω), vates nomine Φήμιος (famosus, cf. φήμη), harioli nomine Μάντιος (vates, cf. μάντις), Πολύιδος (qui multa novit), Θεοκλύμενος (qui a deo auditur); praecones nomine Εὐρυβάτης (qui pleno gradu ingreditur), Ὀδίος (qui iter facit, cf. ὁδός), Θοώτης (celer, cf. θοός), Πεισήνωρ (qui viris fidem facit); servi nomine Δολίος (dolosus), Μεσαύλιος (qui in stabulo vitam degit).

Quae nomina ad munus officiumve quo quisque fungitur apta sunt. Immo, si nomina heroum qui secundas tertiasve partes egerunt diligentissime circumspexeris, poetam animadvertes unde sint ducta nonnunquam ipsum indicavisse, sive disciplinae quam Graeci vocant ἐτυμολογικήν haud ignarus erat, sive potius nomina cum rebus congruentia fingebat. Cum enim Iliadem perlegeremus, nonnulla nobis occurrerunt quae quod dicimus obtinere viderentur.

Ἀγκαῖος Πλευρώνιος, clarus pugil ex Aetolia qui a Nestore vincitur Ψ 635, nomen ducere videtur ab ἀγκαί bracchia. Mirum est Angaeum ex urbe Pleurone ortum esse, quod

1. Ernest Maass, Ἶρις, *Indogermanische Forschungen*, t. I, p. 157-171.

nomen Graeci, populari interpretatione usi, ad vocabulum πλευρά (latus) sane referrent.

Τυχίος, coriarius, H 220, a τεύχειν, pelles subigere, cf. τυκτῇσι βόεσσιν M 105, nominatur.

[σάκος] ὅ οἱ Τυχίος κάμε τεύχων.

Βουκολίων a βούκολος pastor dicitur; pascit enim oves Z 25:

Ποιμαίνων δ'επ'ὄεσσι μίγη φιλότητι καὶ εὐνῇ.

Πολύκτωρ, qui multa habet, in Iliade dives esse dicitur Ω 398:

ἀφνειὸς μὲν ὅγ' ἐστί

Φόρβας ad φέρβω pascor referendum est, qui πολύμηλος Ξ 940 dicitur:

υἱὸν Φόρβαντος πολυμήλου.

'Εχέπωλος, qui pullos equinos habet, equam Agamemnoni dat, nomine Αἴθην Ψ 295, 296:

τὴν 'Αγαμέμνονι δῶκ' 'Αγχισιάδης 'Εχέπωλος.

Πασιθέη, quae omnibus exoptata est. Hanc interpretationem nomini adicere poeta videtur Ξ 269:

Πασιθέην ἧς αἰὲν ἐέλδεαι ἤματα πάντα.

Forsitan -θέη ad θέσσασθαι « praecari, petere », referendum sit[1], et -θέη per ἐέλδεαι sit enodatum, πασι- autem per πάντα.

Τελαμώνιος a Telamone declinatum est, quod nomen idem est ac τελαμών balteus; ejus significationis rationem habere

1. Curtius, *Grundzüge der griechischen Etymologie*[5], p. 520.

videtur Hector cum Ajacem Telamonium balteo donat, H 303-305.

Ὣς ἄρα φωνήσας δῶκε ξίφος ἀργυρόηλον
σὺν κολεῷ τε φέρων καὶ εὐκμήτῳ τελαμῶνι.
Αἴας δὲ ζωστῆρα δίδου φοίνικι φαεινόν.

Cum exemplis ita propositis satis probatum esse judicemus, alia quorum copia magna foret suppeditare supervacaneum est[1]. Praeterea in nonnullis eorum vocabulorum apparet quaedam quasi residua etymologiae memoria ; proponantur exempli gratia Τελαμών et Πασιθέη. Nonnulla ejusdem generis a tragicis desumpta cum iis conferri possunt. De nomine Ἑλένη interpretatio quaedam ab Aeschylo proposita est in choro tragoediae quae *Agamemnon* inscribitur, v. 681-683 :

τίς ποτ' ὠνόμαζεν ὧδ'
ἐς τὸ πᾶν ἐτητύμως
ἑλέναυς, ἕλανδρος, ἑλέπτολις.

In *Ajace* Sophoclis, versu 430°, calamitatem sibi nomine suo portendi censet Ajax :

αἶ αἶ· τίς ἄν ποτ' ᾤεθ' ὧδ' ἐπώνυμον
τοὐμὸν ξυνοίσειν ὄνομα τοῖς ἐμοῖς κακοῖς;
νῦν γὰρ πάρεστι καὶ δὶς αἰάζειν ἐμοί.

At exempla quae ex Iliade sumpsimus, si pleraque ostendunt cognationem quamdam manifesto institutam inter nomen ipsum et partes ab eo susceptas cui impositum est, non autem

1. Δύσπαρις est infelix Paris nisi forte Hector Γ 39, N 269 fratrem miserum bellatorem (πάρις) esse dicat. Cf. Ἄιρον σ 73 quod significat potius « qui non amplius *nuntius* (Ἶρος) erit » quam « qui non amplius Irus erit ».

ejusmodi sunt ut ita per etymologiam admoneamur de significatione quadam quam vocabulum idem habere potuit. Ea vero cognatio fortuita esse nequit. Num igitur eo argumento comprobetur talia nomina a scriptore Iliadis excogitata esse ? Equidem id affirmare nolim cum in historicis quibusdam Graecorum nominibus inter virum et partes a viro susceptas cognatio eadem appareat. Sic Δημοσθένης vim populi significat, artifices nominantur Εὔχειρ « manu peritus », Εὔγραμμος « delineandi sollers ».

Haud temere credatur eam apud Graecos consuetudinem viguisse ut liberis suis nomina imponerent ex eo munere excogitata quod eis spe praesumpsissent. Cum vero non sit verisimile cuncta Trojanorum et Graecorum nomina quae in Iliade legimus e monumentis historiae hausta esse, de nonnullis eorum nominum quae notavimus, hanc inter nomen viri et munus a viro susceptum convenientiam ideo exstitisse opinamur quod ea nomina a poeta excogitata sint. Ex omnibus carminibus epicis quae cum Iliade haud absurde conferri possunt, nullum est in quo alterum rationis ejusdem exemplum appareat. Poetae illi qui historiae documentis nonnullis freti epica carmina ut *Aeneida* et *Hierosolymam liberatam* ad exemplar carminum antiquiorum ratione et via composuerunt, adeo non personas suas omnes ex historia sumpserunt, ut contra qui apud illos heroes primas partes agunt e fabula potissimum effloruisse videantur. Sunt autem carmina, non ita soli poetarum arti tribuenda, quae cum Iliade conferre multi solent, etsi non satis compertum sit quaenam fuerit ea rerum hominumque condicio unde ortum sit carmen Iliacum ; atqui talia exempli causa apparent epica carmina quae ad medium aevum Galliae nostrae pertinent ut de singulis nominibus

quae in eis leguntur et de iis praesertim quae minoris momenti personas designant ambiguum sit veritatem historicam exhibeant necne. Itaque nihil obstat quominus nomina minorum personarum quae in Iliade inveniuntur poetae ingenio ficta esse existimentur et, si quaedam apparet nonnunquam convenientia personae cum munere ab ea suscepto, ideo fortasse inter se congruunt quod et nomen et persona ex inventione poetae pariter effloruerunt.

Attamen, quamvis multa sint nomina a poeta excogitata, sive ea peregrinis imposuerit de quibus profecto ignorabat quanam nominum ratione uti solerent, sive ea Graecis dederit de quibus omnino incertum est utrum vere fuerint an sint solo vatis ingenio procreata, non infitiandum est in Iliade nonnulla inveniri nomina quae ex historia sumpta sint. Quae autem nomina a poeta excogitata sunt, eorum nominum imaginem sane referunt quibus uti solebant Graeci qui eadem aetate qua poeta ipse vixerunt. Itaque dum inquisitionem nostram de nominibus quibusdam instituimus quae in Iliade leguntur, ita viam muniemus ad meliorem certioremque Graecorum nominum notitiam qualia ea aetate fuerunt qua conditum est carmen Iliacum.

Propositi studii finibus eo modo circumscriptis et diligentissime exaratis, in eam imprimis angustam lubricamque quaestionem incidimus qua ambigitur quonam modo compositum sit carmen Iliacum. Consilio nostro alienum quidem foret tanti momenti litem dijudicare : pauca tamen breviter dicenda censemus. Qui statuere voluerunt quaenam sint in Iliade partes vetustissimae, quaenam contra posterius additae fuerint, duarum rationum unam aut alteram elegerunt.

Alii nullum nisi ex ipsis artis poeticae legibus argumentum

sumpserunt : sic libros rejecerunt qui ad iram Achillis non proxime pertinerent, et in singulis libris, quidquid cum ipsa rerum narratione non omnino constaret adventicium esse decreverunt. Recte autem nos admonuit Andreas Langius[1] hanc argumentandi rationem eo praecipue vitio peccare quod illi litterarum arbitri omnino ignorarent quanam natura essent carmina ad multorum delicias, nec tantum ad oblectationem paucorum eruditorumque composita. Si quaedam enim in Iliade aut prave composita aut etiam inter se contraria deprehendi possunt, a Langio comprobatum est eodem vitio non minus, immo gravius etiam peccare carmina quaedam medii aevi nostri quae a scriptore uno edita esse nemo infitietur. Hoc addere licet carmen epicum nullum esse quod ejusmodi disputatione tentatum evadat integrum etiamsi ideo compositum sit ut eis tantum placeat qui intellegunt et recte sapiunt. Adhibita ea per absurdum demonstratione qua uti solent mathematici, non aegre comprobaretur in Aeneide Vergiliana et partes esse quae aetate diversae sint et ea omnia quae ad saeculum Augusti, non autem ad Aeneam Italiae solum petentem pertineant, quasi operis vetustioris fundamentis adstructa esse, et in carmine sexto nonnulla esse quae inter se adeo discrepent ut intellegi nequeant, nisi duobus saltem scriptoribus tribuantur. Pariter comprobaretur in Georgicis ea quae e propriis operis propositi finibus evagari videantur poemate aliena esse et monumento Vergiliano a quolibet rhapsodiarum sutore admixta fuisse. Inter eos quidem qui ingenio vel quadam nova excogitandi et fingendi facultate magis pollent quam doctrina et rationis sanitate, nonnullos inveniri posse

1. *Homer and the Epic*, London, 1893.

existimaverim a quibus etiam nunc probentur illae disputationes, quae dum carmen Iliacum restituere conantur, speciosam operis unitatem disrumpunt. Nos vero talia argumenta ita obsoleta esse censemus ut nisi qui in ludis rhetorum consenuerit neminem jam movere possint.

Alterius generis grammatici genuinam Iliadis linguam restituere conati, eam decreverunt primum Aeolico sermone editam in sermonem Ionicum deinde translatam esse. Si illis credendum, iis partibus, in quibus translatio Aeolica fieri nequeat, nisi multa vocabulorum qualia vulgo legi solent graviter immutata sint, vetustiores sunt partes illae in quibus Aeolicam translationem efficiendi causa non necesse est aut versus ullos corrumpere aut interdum alicujus momenti emendationem instituere. Ea vero ratione etsi major diligentia adhibita sit, nihil effectum est quod controversiae finem imponeret. Nullo enim certo argumento comprobatum est primum Aeolico sermone editum fuisse carmen Iliacum. Cum apud ceteros omnes populos, tum apud Graecos quoque, alia est dialectus quae natura effloruit, alia dialectus quae litteratorum virorum ingenio est excogitata. Sic Alcmanis dialectus non integre Dorica est, at Aeolica et Ionica dialecto admixta; Alcaei dialectus non integre Lesbia sed Ionica dialecto admixta; Anacreontis dialectus Ionica Aeolica dialecto admixta est. Cur autem in Iliade dialectum esse decernas quae cum natura effloruerit, nihil e vicinis dialectis sumpserit, neque ulla vicinitatis ejus contagione adulterata sit? Liceat saltem dicere rem instituta disputatione ambiguam relictam esse. Itaque, donec grammatici nova argumenta exhibuerint quae nullam jam dubitandi vel ambigendi causam probabilem relinquant, quivis in judicando cautus esse volet jure hanc de vera Iliadis natura litem nondum solutam esse

censebit et quale ad nos veterum consuetudine traditum est carmen Iliacum retinebit.

Praeterea disputatio illa tunc tantummodo ad nostram de nominibus personarum inquisitionem attinet cum de sinceritate eorum nominum ambigitur. Quae enim nomina in Iliade genuina sunt inquirenti pluris aestimanda videntur quam ea quae aetatis posterioris artificio inducta sunt. Quod autem spectat ad figuram nominum propriorum, qui ea dialecto Aeolicae restituere volet, in nullam incurret difficultatem quae tali consilio sit peculiaris. Nam si eam formam genuinam habemus quam ad nos tulit carmen Iliacum, nulla causa apparebit cur alia aliis dialectis exorta judicentur et inter diversa genera probabiliter collocentur. In eis igitur nominibus nota nulla deprehenditur quae originis diversitatem ostendat neque ullum inde argumentum sumi potest quo de natura Iliadis concludatur. Immo qui Iliadem edidit, in suam quasi scenam induxit personas e diversis Graeciae regionibus ortas, easque praebet nomina ferentes quae pronuntiandi ratione inter se congruant, etsi dialectis diversis, si originem repetas, orta sint. In sermone nostro haud aegre discernuntur et forma vere ad Franciam pertinens *Chartier* et forma *Cartier* quae ad dialectum Normandiae aut Picardiae referenda est : nulla vero in Iliade ejusmodi differentia invenitur. Hoc sane haud fortuitum est; nam si genuina carminis editio nonnulla e dialectis orta discrimina praebuisset, eo minus intellegi posset cur emendata essent, quod natura sua nomina propria magis quam communia vocabula formam vetustissimam asservant.

Itaque dum scribimus de nominibus propriis quae in Iliade inveniuntur, exceptis paucis quibusdam nominibus peregrinis quae hominum memoria ad nos tradita sunt, adsunt tantum-

modo nomina una Graeciae dialecto suppeditata. Praeterea cum inter propria Iliadis nomina de eis tantummodo inquiramus quae eadem sint ac vocabula communia, proposito nostro alienum est attendere si quid peculiare vel ad dialectos vel ad formam figuramque attinens in eis nominibus notandum videatur. Quanam igitur significatione et quonam modo usitata sint ea nomina inquirimus, nec quidvis aliud inquisitione nostra complecti voluimus. Sic de figura eorum nominum ideo tantum disseremus ut animadvertatur si quando accentus ratione propria nomina a vocabulis communibus discrepent quae natura et forma sunt eadem.

CAPUT PRIMUM

Quonam modo in Graeca lingua nomina informentur.

Priusquam agamus de significatione nominum propriorum quae in Iliade leguntur, quonam modo in sermone Graeco informari soleant personarum nomina breviter dicendum.

Si quis primo de hoc dubitaverit an unquam institutum sit peculiare quoddam genus nominum quo appellarentur personae, constabit nullam esse linguam quae tentaverit singulos homines singulis signis exprimere quae alias partes nullas agerent. Cum enim unoquoque vocabulo notiones paucissimae exprimantur, ea omnia aut ad corpus aut ad animum attinentia quorum summa constat uniuscujusque persona ita componi et in unitatem coalescere non poterant ut vocabuli unius significatione universa intellegerentur. Nam copulata etiam vocabula quibus notiones complures exprimi videntur, nunquam partes habent plures quam duo quarum altera ab altera pendeat, unaque notionem praecipuam exprimat cujus modos tantum vel immutationes altera significet. Vocabula autem copulata quae partes habeant plures quam duo in Graeca lingua nusquam reperias, nisi apud Aristophanem et comicos poetas a quibus eo consilio inducta sint ut risum moverent.

Sed, si verbo uno cui significandi vis quaedam inesset nunquam exprimi potuit unius personae notio, nihil obstat

quominus sit consilium eam abstracti cujusdam signi artificio exprimendi, cujus signi materiam suppeditarent aut litterae quaedam inter se compositae aut numeri. Ea quidem ratio, quamvis nullo modo sit absurda, nunquam tamen late usitata est, neque aliam ob causam adhibita nisi ut designarentur quaedam hominum genera; sic apud nos, exempli gratia, omissis nominibus, numerorum serie alii ab aliis distingui solent qui in eodem carcere habentur. Id vero operae pretium est animadvertere consilii ita excogitati eventum inexpectatum fuisse ut ea signa significationem assumpserint quam nemo argumentando suspicari potuisset : ubi enim homini numerus quidam nominis more addicitur, id eam ob causam effici intellegimus ut eodem modo quo apud Romanos capitis deminutione maxima e civitate, immo ex humanitate eiceretur pessimus quisque civis, sic tanquam inusta infamiae nota e condicione personarum tollatur. Huic igitur opinioni ea causa est quod si cui numerus impositus est quo deinceps designaretur, tum abolitum nomen illud personae ejus, ut ita dicam, alligatum admixtumque quo antea inter ceteros notus erat.

Hanc autem designationem genuisse videntur causae diversae ex ordine civitatis sumptae. Inveniuntur etiam alia quaedam nomina abstracta quibus homines singuli in eorum genere collocantur qui munus idem exercent. Sic nominantur Pius IX, Ludovicus XIV, Carolus X. Suum enim nomen proprium unusquisque rex aut pontifex summus ideo deponit ut nomen alterum sumat quo inter se et ceteros reges pontificesve artius quoddam quasi cognationis vinculum institui videatur. Eodem modo in monasteriis vel religiosis coetibus permultis viget consuetudo nomina sanctorum eligendi quae singulis pro nominibus propriis imponuntur. Ea vero nominum mutatio ideo instituta esse videtur ut aboleretur uniuscujusque persona : alia enim viri vel mulieris condicio qui cum se religioni consecravit sancti cujusdam nomen sumpsit, alia eorum qui ceteris civibus immixti nomina accepere e nominibus sanctorum ple-

rumque suscepta : qui enim eis nomina sanctorum imposuere suum unicuique patronum elegerunt cujus auxilio adjuvaretur, dum ii qui in vitam religiosam secedunt tunc suam, ut ita dicam, peculiarem notam delere nituntur cujus in locum consulto inducitur personae alterius nomen.

Inter eas nomina imponendi rationes et rationem eam qua suo unusquisque numero designatur similitudo nulla est praeter exitum : omnes enim ad eum pariter exitum deveniunt ut aboleatur personae uniuscujusque nota singularis. Attamen qui numero quodam designatur, notam ita suscipit qua a ceteris omnibus inter quos vitam agit haud dubie distinctus sit; regi vero nomen imponitur inter nomina electum quae generis ejusdem reges habuere, et homo religioni deditus in locum nominis sui sancti cujusdam nomen inducit.

Rara demum fuere nec latius usu pervulgata illius rationis exempla qua homines per signa abstracta appellare tentatum est. Signorum quidem sonorumve numerus, etsi multis modis inter se consociantur, non is est ut qualibet in lingua totidem propriis unicuique signis distingui possint singuli homines qui ea lingua utuntur.

Si quis in lingua una ea omnia consulto omittere voluerit quae e fonte peregrino in onomasticam influxere, ita instituentur genera duo quibus adscribentur nomina omnia.

In linguis cunctis, ut distinguerentur inter se singuli homines, primo electum est aliquid aut corporis aut animi condicioni, aut origini, aut susceptis muneribus, aut domicilio peculiare. Cum vero ejus generis nomina numero non infinita essent, evenit ut saepe uno et eodem nomine homines duo appellarentur. Quod cum eveniebat, priori nomini nomen alterum addebatur, ex aliqua vel naturae vel vitae diversitate sumptum qua uterque ab altero differret, aut patris matrisve nomen adjungebatur. Cum enim lingua nulla haberet nomina per se singulis hominibus propria, mos erat singulos homines nota peculiari tunc distinguendi cum id efficiendum esse necessitas aliqua admo-

nuerat. Sic in rustico quodam vico unus sit homo nomine Ξάνθος, notam satis individuam nomen illud habebit. Sint contra in eodem vico duo homines nomine Ξάνθος, tunc inter se distinguantur oportebit, aut nomine patris utrique addito, aut nomine loci quem quisque habitat. Quo magis usu vulgatum est nomen, eo minus singularem asservat naturam. Ubi vero nomen quodvis ad multos emanavit, tum cum naturam habeat non jam satis singularem, in locum ejus prodit nomen alterum vel ex agro sumptum vel patronymicum, sed si rem ab origine repetas, ea nomina cuncta aut ad indolem singularem, aut ad ea quae in ratione vivendi singulis propria sunt referenda esse apparebit.

Alteri nominum generi non minus vetusto ea nomina adscribentur quae cum ad personam ipsam per se non referantur ei tamen diversas ob causas imposita sunt. Talia sunt primo nomina quae grammatici nostri *theophora* dicunt, et ea quae pio quodam animi motu creata sunt[1]. Ea theophora nomina praecipue in linguis Semiticis plurima inveniuntur : *Hannibal*, gratia Dei; *Adsdrubal*, cujus auxilium est Baal, sed e linguis Indoeuropaeis non absunt, ut testantur apud Graecos Θεόδοτος, Θεόδωρος, apud Germanos *Gotthilf*, *Liebegott*, *Gottlob*, apud nos *Dieudonné*, *Amédée*, *Espérandieu*. Saepe infanti imponitur vel patris vel avi nomen cujus memoria honore peculiari sic praecipue excolitur. Pecudum autem nomina orta sunt aut e similitudine quadam instituta inter personam et pecudem cujus nomen personae ideo inditum est quia naturae ejus nonnihil referre videbatur, vel e religione qua olim pecudi cuidam honores solvebantur quae tribum tutari credebatur. Permulta ut homines designarentur adhibita sunt sanctorum nomina, quos quidam liberis suis fautores futuros esse sperant, instituta quadam puerum inter et divinam personam quasi nominis affinitate. In civitate nostra usitatissima sunt talia nomina et sic

1. Pott, *Die Personennamen*, p. 693-721.

adhibita ut alii nomini adjungantur; hujus autem generis nomen praenomen appellatur, alterum simpliciter nomen dicitur. Si quis quaesierit quonam ordine apud Francos inducta sint, praenomen nomine ipso vetustius esse constat et ideo tantum nomini baptismatis tempore imposito adjunctum esse familiae nomen quia non satis proprium et singulare erat christianum illud nomen. Jure, non natura, condita nominum hereditas eadem ratione explananda est; quod nomen pater gerebat, id ad filium transibat, simul ac plerumque patris praenomen accipiebat filius ante ceteros genitus. Dum vero in priori genere nominum propriorum quaedam cognatio erat inter nomen et eum qui nomen id habebat, in posteriori nominum genere nulla est neque esse potest ejusmodi cognatio, cum nomen non inventum sit ejus causa qui id aut hereditate aut aliter traditum accepit. Itaque, si proprium id nomen vocamus quod a vocabulo communi maxime discrepet, posterioris magis quam prioris generis nomina vere nomina esse dicenda videntur. Si contra rationis trutina rem expendere volueris, ea tantummodo nomina natura vere singularia et peculiaria esse judicabis quae significatione sua aliquam exhibeant affinitatem inter nomen et eum cui nomen impositum est. Nomina, quae hereditate tradita nullam habent significationem singulis hominibus vere propriam, ad eam condicionem demum pervenere ut fere notis per abstractionem constitutis paria sint; immo, ut quidam existimant, ea nomina vere propria dicenda sunt ob eam praecipue causam quod nullam gignere possint concretae naturae notionem, singulorumque hominum notionem, abstractionis opere et ut ita dicam per saturam institutam, potissimum prae se ferant. Nostra quidem aetate ea nomina fere sola sunt usitata. Si quam autem nomina significationem retinere videntur, increbrescit consuetudo eam corrupto sono quam maxime delendi. Qui *Tête vide* appellatur, quod nomen *Testevuide* scribitur nomen pronuntiat *Teste vuide; Pinson*, antiquitus *Pinczon* cum *cz* pro *s* in Britannia saepe positum sit, se vocari jubet

Pinxon. Adeo consuevimus nomina audire quae significationem nullam exhibeant ut ea ipsa quae olim significationis haud dubiae essent, sicut *Le Grand, Le Noir* nullam jam nobis afferant nisi eorum hominum notionem quos eis nominibus appellatos audire solemus, neque admiratio ulla oriatur si quando qui *Le Grand*, id est Procerus, appellatur, pusillus est, aut si qui *Le Noir*, id est Niger, dicitur, rufus videtur.

Articulus ante nomina positus eis ita adsutus est ut vix agnoscatur. Dicere enim solemus : *J'ai pris le livre de Lenoir, j'ai prêté un livre à Lenoir*, non autem *j'ai pris le livre du Noir, j'ai prêté un livre au Noir*[1]. Res ita se habet quia nomina sunt non modo hereditaria, sed etiam fixa et immutabilia. Publicis enim tabulis diligenter inscriptam singulorum nominum figuram nisi hujus concilii auctoritate quod apud nos vocatur *Conseil d'État* mutari jure prohibetur. Sic nomina ad eam naturam accedunt ut nihil jam sint nisi notae quaedam e numeris sumptae, et praenomina, cum in plures homines etiam quam nomina conveniant et minus varientur, non sunt singula singulis personis propria vel priva. Itaque, quo magis a personali indole recedit, simul eo magis a vocabulo communi discrepat nomen personae.

Recentioris linguae nostrae consuetudine constat ad eum finem elaboratum esse ut nullo modo inter se confundi possent vocabulum commune et proprium nomen. Quae confusio tum tantum fieri potest cum audacius inducta est ellipsis quaedam qua res nomine hominis designaretur ut *calepin, carcel*.

1. Sed in dialectis nostrae Galliae vestigia nonnulla supersunt quae nomina propria flexa nunc etiam ostendunt; sic in regione altae Meduanae vulgo dici solet *au Roi, au Veau, au Chat, au Bouc*, non *à Leroi, à Leveau, à Lechat, à Lebouc*. Immo quaenam fuerit nominum propriorum significatio adeo non inscii sunt homines ut eam quae cum *Leroy* conubio juncta sit, *La Royne* non *la Leroy* appellare soleant; attamen operae pretium est animadvertere ab eisdem dici solere *la Legrand, la Legris*, non *la Grande, la Grise* (R. de Montesson, *Vocabulaire du Haut-Maine*, p. 414). Praeterea nominis proprii significatio apud homines subrusticos et ingenio simplices melius asservatur quam inter eruditos quibus et abstractio minus operosa est et vis fingendi magis composita.

Scribendi autem ratione diligenter asservatur differentia inter numerum multitudinis nominum propriorum cui *s* non adjungitur ut *les deux Corneille* et numerum multitudinis eorum nominum quae vocabula communia facta sunt ut :

Un Mécène aisément peut faire des Virgiles.

Sermonis more aegre accipitur signum numeri multitudinis propriis nominibus adjunctum ob eam causam quod nisi intellecta simul persona nomen intellegi non potest; dum autem eodem nomine repetito personae diversae designari possunt et nihil mirum est ita adhibitum esse numerum multitudinis, nemo contra intellegat quanam ratione ibi numerus multitudinis usurpari possit ubi personae homonymae, non nomina, enumerantur. Duo enim homines, quorum uterque eodem nomine nominatur esse possunt, unius vero personae exemplaria duo animo sibi fingere ipsius rationis legibus alienissimum est. Ea enim est proprii cujusvis nominis natura ut hominem singularem, cui proprium est, a ceteris hominibus cunctis quasi nota peculiari discernat, dum contra commune quodlibet vocabulum res complures in genus idem cogit confunditque. Viam ergo diversam cum in nominibus propriis, tum in communibus vocabulis instituendis mens humana secuta esse videtur. Haec communia vocabula ex ea ipsa necessitate orta sunt : cum rerum singularum multitudo prope infinita esset, illas quae aliquam inter se similitudinem praestarent uno eodemque vocabulo consociare necesse fuit ut res singulares prope innumeras numerus non ita magnus vocabulorum satis aperte referret; illa vero, propria scilicet nomina, origine haud dubie posteriora ideo inventa sunt, aut potius a vocabulis communibus desumpta, ut quidquid vel in mortalibus, vel in animantibus, vel in locis naturam singularem praestaret, e confusa illa rerum communitate expediretur et seponeretur. Humano enim ingenio discernendi non minor quam conferendi necessitas

incumbit, et nisi prudentiae tuae quasi luminibus offecerint eorum philosophorum somnia qui medio aevo realistae dicebantur, singulos homines quos in consuetudine vitae cotidianae obvios habebis alios ab aliis dignoscere tibi non minus utile censebis quam rectam humanitatis notionem animo concipere.

Postquam exposuimus quonam modo apud nos intellegatur nomen personae, jam nunc inquirendum est quonam modo intellegi solitum sit nomen idem cum in Graecia universa, tum praecipue in carmine Iliaco.

Apud Graecos non est principiis instituta nominis hereditas. Ab uno aut altero parentum[1] puero nomen imponi solet, saepius quidem a patre, sed a matre nonnunquam. Sic apud Euripidem, *Phoen.* 58 profitetur Jocasta se filiae suae nomen Antigonen imposuisse[2]. Ut apud nos, saepe sumitur nomen unius inter avos pueri. Admonet Eustathius *ad Iliada,* v. 546 apud Graecos vetustissimam fuisse consuetudinem qua pueri nominandi causa eligeretur nomen avi[3]; Demosthenes autem, filio natu majori dari plerumque avi paterni nomen[4]. Ita avi nomen acceperat Cimon[5], eodemque modo Gryllus, Xenophontis filius[6]. Apud Demosthenem, Eubulides Philomaches filius est quam genuit Eubulides[7]. Phocus, Phocionis filius, Phoci nepos erat[8].

1. Aristophanes, *Nub.* 60 :

μετὰ ταῦθ' ὅπως νῷν ἐγένεθ' υἱὸς οὑτοσί
ἐμοί τε δὴ καὶ τῇ γυναικὶ τἀγαθῇ
περὶ τοὐνόματος δὴ 'ντεῦθεν ἐλοιδορούμεθα.

2. τὴν μὲν Ἰσμήνην πατὴρ
ὠνόμασε, τὴν δὲ πρόσθεν Ἀντιγόνην ἐγώ.

3. ἰστέον δὲ καὶ ὅτι παλαίτατον ἔθος ἦν τοὺς ἐγγόνους καλεῖσθαι τοῖς τῶν πάππων ὀνόμασιν.

4. ἀξιοῖ δ' αὐτὸς ὡς δὴ πρεσβύτερος ὢν τοὔνομ' ἔχειν τὸ τοῦ πρὸς πατρὸς πάππου. *adv. Boeot.* I, 27, p. 1002.

5. Κίμων τῷ πάππῳ Κίμωνι προσεοικὼς τὴν φύσιν, apud Plutarchum, *Cim.* 4.

6. Apud Arrianum, *An.* 2, 8, 11. Cf. Plutarchum, *Cons. ad Apol.* 33, p. 118.

7. *Adversus Macartatum,* p. 1050.

8. Apud Aelianum, *var. hist.*, 2, 16, 43; 3, 17; 12, 49. Cf. Plutarchum, *Phoc.* 20.

Saepe idem est et filii et patris nomen, sic Demosthenes et Demades Demosthenis et Demadis sunt filii. Atheniensium gentium duarum stemmata inscriptionibus ad nos tradita filium natu majorem ostendunt avi nomen habentem, filium autem natu minorem patris nomen[1]. Nonnunquam cum patris nomen partibus duabus constat, filii nomen partium illarum unam habet. Nausiphilus appellatur Nausinici filius, Callistratus dicitur Callicratis filius, Theophrastus Theodori filius; aut eadem notio alio vocabulo in nomine patris, alio in nomine filii exprimitur, velut Φιλούμενος Ἔρωτος υἱός, id est Amatus Amoris filius. Fratres genuinos apud Lysiam nominatos invenimus quorum alter Diodotus, alter Diogiton dicitur, quorum pater nomen habuisse debet cui syllaba Dio- initium erat[2]. Nonnunquam quoque pueris imponebatur nomen a patrui nomine sumptum. Uni filiorum suorum Antigonus fratris Demetrii nomen imponit, alteri autem nomen patris Philippi[3]. Pueris imponebatur aliquando quoque pro propinquorum nomine, aut hospitis cujus memoria vigebat[4], aut amici[5], aut fautoris nomen[6]. Ea autem nominandi ratio, cum nomen non ut apud nos jure hereditarium sit, a ratione apud nos usitata eo discrimine omnino discrepat quod non aliena est ab omni respectu ad personas. Praeterea, patri jus est filii sui nomen ut placuit mutandi[7].

1. *Zwei Athenische Familien aus den drei letzten vorchristlichen Jahrhunderten,* Hermes, t. XXVIII, p. 139-145.

2. Apud Lysiam, *Contra Diogitonem,* § 4.

3. Ἀντιγόνῳ τοίνυν δυοῖν υἱῶν ἐκ Στρατονίκης τῆς Κορράγου γενομένων τὸν μὲν ἐπὶ τἀδελφῷ Δημήτριον, τὸν δ' ἐπὶ τῷ πατρὶ Φίλιππον ὠνόμασεν. Apud Plutarchum, *Demetr.* 2.

4. Ἧκε γάρ τις ἐξ Ἀθηνῶν παρὰ Ἀρχίου τοῦ ἱεροφάντου πρὸς Ἀρχίαν τὸν ὁμώνυμον ξένον ὄντα καὶ φίλον. Apud Plutarchum, *Pelop.* 10.

5. Πολυξένῳ δὲ ἀνασωθέντι ἐκ Τροίας ἐγένετο υἱὸς Ἀμφίμαχος, τὸ δὲ ὄνομα τῷ παιδὶ ἔθετο ὁ Πολύξενος κατὰ φιλίαν ἐμοὶ δοκεῖν πρὸς Ἀμφίμαχον τὸν Κτεάτου τελευτήσαντα ἐν Ἰλίῳ. Apud Pausaniam, V, 3, 4.

6. Ἐγὼ δὲ καὶ τὸν υἱὸν ἐβουλόμην ἀγαγεῖν παρὰ σέ, ὃν ἐπὶ τῷ σῷ ὀνόματι Τίμωνα ὠνόμακα. Apud Lucianum, *Tim.* 52.

7. εἰ δ' ὁ μὲν νόμος ὃν πάντες ἐπίστασθε ὁμοίως ἐμοί, τοὺς γονέας ποιεῖ κυρίους οὐ μόνον θέσθαι τοὔνομ' ἐξ ἀρχῆς, ἀλλὰ κἂν πάλιν ἐξαλεῖψαι βούλωνται καὶ ἀποκηρῦξαι. Apud Demosthenem, *adv. Boeot.* I, 1006.

Denique, praeter ea nomina ideo imposita ut alicujus inter majores aut amicos memoria reviviscat, multa sunt quae admoneant de aliquo vel corporis vel animi bono quod alicui peculiare sit, aut si quid rerum aut temporum ad eumdem singulariter attineat.

Hujus generis nomina apud Graecos majoris quam apud nos momenti sunt. Nam cum nomen Graecum non esset fixum, in locum ejus nunquam non subire poterat cognomen neque a cognomine nomen ejusmodi admodum differt. Ejus contra cognominis usus apud nos nunquam pervulgabitur quia nisi aegre tabulis publicis non inscribitur. In Graecia autem, qui antea Ἀριστοκλῆς appellatus fuerat, mox Πλάτων, quod ab humeris latus esset denominatus est; Τύρταμος a magistro Aristotele Θεόφραστος dictus est propter eximiam ejus studendi diligentiam. Id tamen accidebat ut cognomen nominis locum usurpare nunquam valeret. Sic Callias Atheniensis cognomine Σχοινίων appellatus fuerat quod pater σχοινοπλόκος, id est restio, fuisset[1]; Diotimus Atheniensis, Χώνη quod bibulus esset[2]; Diphilus, Λαβύρινθος[3], Demosthenes, Βάταλος[4]. In quodam Anaxandridae loco quem tradidit Athenaeus notatur usitatissimam fuisse apud Athenienses consuetudinem cognomina imponendi[5]. In *Avibus*, Aristophanes animadvertit permultos esse quibus indita essent cognomina e volucribus sumpta et ab eo afferuntur exempli gratia : Πέρδιξ, Χελιδών, Κόραξ, Κορυδός, Χηναλώπηξ, Ἶβις, Νυκτερίς[6]. Ubi molestum aliquid nominis cognominis more inditi significationi inest, nomen id saepe mutatur. Ita, in sua pro Corona oratione commemorat Demosthenes Aeschinis patrem cum Τρόμητος appellaretur ita nomen suum mutavisse

1. Apud Suidam.
2. Apud Athenaeum, X, 48, p. 436.
3. Apud Lucianum, *Symp.* 6, p. 422.
4. Apud Aeschinem, *adv. Tim.* 126, 131. Cf. Demosthenem, *Pro Cor.*, p. 288.
5. Apud Athenaeum, VI, 41, p. 242.
6. *Aves*, v. 1291 sq.

ut rursus Ἀτρόμητος diceretur, ejusdemque matrem quae Ἔμπουσα appellaretur nomen elegisse novum quo Γλαυκοθέα nominaretur[1].

Ab ea nomina imponendi ratione quae ita legibus nullis adstricta est, id exspectandum videtur ut prope infinitus sit nominum numerus et in vitae consuetudinem nomina quae singulis imponi soleant satis multa edita sint ut suo unusquisque nomine a ceteris omnibus quasi peculiari privaque nota distinctus prodeat. Quotcumque tamen sunt nomina Graeca, res aliter se habet. Eam omittamus nominum confusionem quae ideo fiebat quod in gente eadem filio imponi solebat nomen ab uno inter majores assumptum : quae confusio fortasse minus molesta erat quia inter se confundebantur homines duo aetate dispares, immo quorum uterque, aetatum serie, alteri non esset contiguus, cum filius avi potius quam genitoris nomen assumeret. Sed ea confusio summopere vitanda erat quae fieri potest inter homines ad aetatem eamdem pertinentes. Inter se vero distinguuntur homines ejusdem nominis, adjuncto vel patris nomine : Δημοσθένης Δημοσθένους, Φωκίων Φώκου, vel vici urbisve nomine ubi aliquis natus est : Θουκυδίδης Ἀθηναῖος, vel simul et patris et vici urbisve nomine : Δημοσθένης Δημοσθένους Παιανιεύς. De ea etiam consuetudine concordant inter se Graeci et nostrates. Apud nos enim, vetustissima sunt nomina e religione sumpta, sanctorum scilicet nomina quae nostra aetate tantummodo praenominum partes agunt. Eis nominibus homines distinguendi causa adjungi solebat nota aliqua vel e munere, vel e domo vel e corpore aut animo sumpta quotiescumque duo aut plures in eadem regione nomen idem habebant. Cum nomen illud, distinctionis instituendae causa adjunctum, in locum nominis praecipui successit, velut apud Romanos cognomen in locum praenominis et nominis, fieri potuit ut filii nomini adjunctum sit patronymici more; ita apud

1. *Pro Corona*, p. 270.

Germanos nomen *Matthiae* in casu patrico significat filium Matthiae; eodem modo apud Italos permulta nomina in *-i* desinentia patronymica sunt. Fieri potest etiam ut, apud nos si rem ab origine repetas *Georges Lecharpentier* significet *Georges fils de Lecharpentier*, et antea *fils du charpentier*. In nominibus nonnullis etiam nunc supersunt quaedam hujus originis vestigia magis impressa, nec dubium est patronymica fuisse nomina *Ageorges*, *d'Hugues*, *Alapetite*. Cum in Graeciam inducta est consuetudo pauca nomina in familia eadem eligendi, tum, si proavi nomen filius habebat patronymicorum beneficio inter se distingui poterant aetates quattuor quarum aliter confusio fuisset.

Nomina imponendi ratio apud Graecos usitata ab ea qua nostrates utuntur non multum differt. Una ratio ab altera ratione ideo tantum vere diversa est quod apud Graecos, cum nulla est nominis proprii stabilitas, tum nomen a cognomine id est a communi vocabulo minime dissimile est. Ea autem differentia quam maxime conspicua si quis Graecam consuetudinem et consuetudinem apud nos hodierno tempore usitatam inter se contulerit, rursus fere nulla esse videbitur ubi inter se conferentur Graecorum consuetudo et consuetudo quae apud nos paucis abhinc saeculis aut etiam novissime ad hanc aetatem viguit qua gravissima mutatione, exeunte octavo decimo saeculo, penitus eversus est civitatis nostrae status. Non aute aetatem post Christum natum millesimam ducentesimam nomina hereditate tradi et patronymica fieri coeperunt. Sed diu etiam post eam aetatem, nomen etsi hereditate traditur non est fixum, idque ut libet commutandi licentia summa nemini non permissa est. Ita nonnunquam qui gentis heres ultimus superest, testamento rem suam propinquo cuidam eo pacto relinquit ut restituatur nomen quod jam in eo est ut exstinguatur. Gentes quoque memoriae traditum est, eodem tempore quo ex aliis partibus ad partes alias transirent, nomen suum mutavisse; qui prius nomine *Boudet* dicti fuerant, cum Anglorum partes

deseruere, ut Caroli septimi causam amplecterentur, se non jam *Boudet*, sed *Crosville* dici voluerunt. Sic quoque nonnullos homines novos juvabat nomen sibi eligere cujus specie et habitu inter nobiles annumerandi viderentur : exempli gratia testatur *Laroque* quemdam fuisse, Philippo VI° regnante, nomine *Jean du Boulay* cui pater esset *Jean Paumier*. De re illa, lege nulla prius statutum esse videmus quam edita sit notissima constitutio quae dicitur *l'Ordonnance d'Amboise*, anno post Christum natum MDLV, die Martis 26ª edicta. Ab ea aetate, nisi regis auctoritate concessum erit, nomen suum mutare nemini jure licet. Attamen non ita effectum est ut nulla jam confusio fieri posset. Immo jam tunc percrebrescit consuetudo nomini patronymico nomen adjungendi vel e praedio rustico vel ex eo fundorum genere sumptum qui ab hominibus medii aevi nostri *feudi* vel *beneficia* dicebantur. Sic in una eademque familia filius unusquisque gaudet honoris causa nomen sibi eligere e diversis totidem fundis sumptum, nomine patronymico tanquam in umbra quadam haud inconsulto oblivione consepulto. Itaque ut nomen, si ad jus respicias, fixum est, sic, si respexeris potius quonam modo res se habeat in consuetudine vitae cotidianae, tum rursus tibi apparebit summam esse nominis inconstantiam. *Louvois* cui pater est *Michel Le Tellier* filios genuit dictos nomine *Barbezieux* et *Courtenvaux*. Tunc tantummodo cum constitutus est ille rerum ordo novus qui ad nos duravit, et decreto anno MDCCXC die 19ª et die 23ª mensis Junii edito statutum est civi nulli nomen aliud ac verum familiae suae nomen sumendi jus esse, nomen demum vere fixum et hereditarium esse coepit.

Attamen nisi omnino ignorare voluerit quonam modo res se habeant, quis Valle Guidonis aut in Redonica civitate vitam agens nomina jam nunquam mutari credat, cum fieri non possit ut ipse non multos noverit quorum nomina aut sine jure, aut jure haud difficulter concesso ex ignobilitate ad

quamdam nobilitatis speciem irrepserint. Quam multos in utraque civitate proferre licet quorum aut avi aut proavi si quando ex inferis in hanc vitam revocati essent prolem suam nomine nobilitati adscriptam non agnoscerent! Decretum ergo supra revocatum ita interpretandum censemus non ut jure omnino prohibitum sit nomen familiae quale hereditate sit traditum unquam mutari, sed ut nisi concessa ab eis ad quos pertinet auctoritate ab hominibus privis mutari nequeat. Sic non inductum est in nostram de jure civili philosophiam regula nova qua statueretur ipso civitatis ordine alienum esse nomina mutari : res enim si ita se habuisset, nisi decreto quod in universum statuerat prius abrogato, iis quae Romani privilegia appellant aut legibus aut sententiis de rebus hominibusve singulis statuentibus, ab eo discedere injustum foret. Nam ab eis principiis quibus civitas condita et ordinata esse videtur privatae cujusvis utilitatis aut voluntatis gratia discedere omnino et sine exceptione vetitum.

Itaque id tantummodo non omnino quidem, at saltem pro parte novum exstitit : major scilicet nominum sinceritas et constantia, cum quia iterum lege edictum est ea privatorum arbitrio mutari injustum esse, tum praecipue quia praescribendis eis tabulis publicis quae apud nos dicuntur *l'état civil* non modo in urbibus celeberrimis, sed etiam in humillimo quoque viculo diligentia longe major adhibita est quam antea. Attamen neque judices, cum agitur tantummodo de nomine emendando, neque jurisconsulti in eo consilio sedentes quod vocatur apud nos *conseil d'État*, cum agitur de nomine mutando, ut videtur, rem adesse credunt alicujus momenti : immo, dummodo nemo intercedat et nulla appareat causa peculiaris recusandi, petitam nomen emendandi aut mutandi veniam summa vel fortasse nimia facultate largiuntur. Qua publicae auctoritatis indulgentia aut inconstantia effectum est ut aut non minus frequentes aut vix rariores quam antea aetate nostra esse videantur nominum mutationes.

Quidquid est, id saltem interest inter Graecam et nostram nominandi rationem nomen scilicet apud Graecos multo minus fixum esse quam apud nos, quia hereditarium jure non erat. Nomen enim, cum aliud esset ac nota quaedam communis qua gens unaquaeque ab aliis distingueretur, tunc etiam cum in significatione ejus nulla esset inter nomen et eum qui ita nominaretur convenientia, significationem tamen retinebat rebus magis affixam et ut ita dicam magis concretam, et nunquam elaboratum est ut aut a cognomine aut a vocabulo communi omnino dignosci posset. In alia operis nostri parte jam inquiremus quonam modo tentatum sit quamdam per accentum inter vocabula communia vel propria differentiam instituere.

Ea quoque causa fuit cur in lingua Graeca non eadem esset communis propriive nominis differentia qua apud nos discrepant *Atlas, l'atlas, Calepin, le calepin, Pharaon, le pharaon,* articulum scilicet cum nominibus hominum usitatum esse. Aliam autem articulus nomini proprio adjunctus, aliam articulus vocabulis communibus adjunctus significationem habet. Tunc enim minus late patet usus ejus neque adhiberi potest nisi ut designetur persona nota et jam ante nominata. Itaque ille articuli usus originem suam non duxit ab usu articuli adhibiti cum vocabulis communibus rerum quae natura sunt unicae, sicut ὁ ἥλιος, ὁ οὐρανός, ἡ γῆ : refertur enim ad usum articuli cum sensu demonstrativo assumpti. In poesi rarius, in prosa oratione praecipue viguisse videtur, et, ut pulchre animadvertit B. J. Gildersleeve[1] e sermone cotidiano ortum est cum ita velut digito aut nutu aliquis familiariter designaretur. Non Graecae linguae peculiaris est ea consuetudo. Dicunt Germani *der Karl* eodem modo quo nostrates *ce Charles, le Charles,* assumpto sensu demonstrativo et familiari. Sed apud Germanos et apud nostrates ea loquendi consuetudo ser-

1. *The American Journal of philology,* t. XI, p. 483 sq.

monis cotidiani e finibus nunquam excedit, dum Graeca ejusdem generis consuetudo qua dicitur verbi gratia ὁ Δημοσθένης in lingua universa mox frequentissima occurrit. Itaque cum articulus nomini proprio adjungi soleret, eam quoque causam esse dixerim cur apud Graecos nomen proprium ad naturam communis vocabuli propius accesserit.

Num merito judicatur nullam esse apud Graecos nominis et cognominis differentiam? Nomen quidem si ita consideraveris ut inquiratur quaenam fuerit significatio ejus, tum manifestum erit nullam institui posse nominis et cognonominis differentiam quae ab eadem origine orta sint ita ut rem verius judicanti appareat nullum fere unquam exstitisse genus verborum quae nihil aliud essent nisi nomina, sed tantummodo cognomina vel potius epitheta ideo assumpta ut homines alii ab aliis distinguerentur. Aliter vero concludendum erit si inquirendum tibi proposueris quonam modo usitata sint nomina, non autem qualis sit eorum significatio. Graecis enim aliud est cognomen (ἐπώνυμον), aliud nomen (ὄνομα), nam a parentibus nomen imponitur, cognomen vero ab aliis. Cognomina pauca inveniuntur ita usitata ut ab omnibus accepta sit consuetudo viros quosdam sic designandi; huic generi adscribatur exempli gratia Πλάτων. Sed plerumque non latius quam inter paucos in iisdem circulis vitam degentes notum est cognomen, quod ab amicis cum familiaritate quadam usurpari solet, ab inimicis autem non sine quodam irridendi consilio. Cognomine igitur, cum aut ad res aut ad tempora respiciatur, non ubique et semper, sed tantummodo intra quosdam dierum et locorum fines homo unus designatur; nomine contra indicium fertur cum constantius, tum eo magis duraturum quod non e parte aliqua, sed e suo habitu toto, ut quidem sentimus, idem homo designatur. Sic cognomen magis quam nomen vocabulo communi propinquum est.

Usus ille Graecus de quo jam disseruimus tum adhibitus est cum vigerent litterae. At cum nulla causa sit cur citra proba-

tionem credatur non alium fuisse usum in Iliade aut in Odyssea, operae pretium est inquirere num, repetita origine, ita usitata sint nomina propria ut quaedam in lingua poematum Homericorum notanda videantur, quae in lingua Graeca qualis fuit postea non jam reperiantur.

CAPUT SECUNDUM

De nominibus quae Iliade continentur.

Quae in Iliade legi possunt de ratione qua imposita sint nomina, pauciora sunt quam ut certum aliquid inde concludatur. In uno tantum loco agitur de nomine quod filio infanti pater imponere solebat :

τόν ῥ' Ἕκτωρ καλέεσκε Σκαμάνδριον, αὐτὰρ οἱ ἄλλοι
Ἀστυάνακτ' Z 402-403.

Nomen autem a patre sic impositum nomini alteri opponitur. Primo quidem aspectu, eo versu probatum esse videatur nomina non fixa esse. Sed e versu X 506° manifestum est Astyanacta nihil aliud esse nisi cognomen :

Ἀστυάναξ ὃν Τρῶες ἐπίκλησιν καλέουσιν.

Cognomen autem a nomine semper distinctum esse apparet, exempli gratia ubi dicitur H 137-141 :

δίου Ἀρηϊθόου, τὸν ἐπίκλησιν Κορυνήτην
ἄνδρες κίκλησκον καλλίζωνοί τε γυναῖκες,
οὕνεκ' ἄρ' οὐ τόξοισι μαχέσκετο δουρί τε μακρῷ,
ἀλλὰ σιδηρείῃ κορύνῃ ῥήγνυσκε φάλαγγας.

'Επίκλησις non modo cognomen, sed etiam nomen falsum significat. Flumen enim Sperchius, se nomine Borum dicens, Perieris filium, cum Polydora coit, Π 175 :

[Μενέσθιος] ὃν τέκε Πηλῆος θυγάτηρ, κάλη Πολυδώρη,
Σπερχείῳ ἀκάμαντι, γυνὴ θεῷ εὐνηθεῖσα,
αὐτὰρ ἐπίκλησιν Βώρῳ Περιήρεος υἱῷ,
ὅς ἀναφανδὸν ὄπυιε πορὼν ἀπερείσια ἕδνα.

Nomini, Graece dicto ὄνομα, opponitur etiam quod Graece dicitur ἐπώνυμον, id est alterum nomen, ut ex his versibus patet, I 561-564 :

[Κλεοπάτρῃ] τὴν δὲ τότ' ἐν μεγάροισι πατὴρ καὶ πότνια μήτηρ
'Αλκυόνην καλέεσκον ἐπώνυμον, οὕνεκ' ἄρ' αὐτῆς
μήτηρ, ἀλκύονος πολυπενθέος οἶτον ἔχουσα,
κλαῖ' ὅτε μιν ἑκάεργος ἀνήρπασε Φοῖβος 'Απόλλων.

'Επώνυμον autem usu quidem, ut videtur, minus pervulgatum est quam ἐπίκλησις. Domi tantummodo et a parentibus Cleopatra dicitur Alcyone.

Forsitan existimandum sit eumdem fuisse usum et in Iliade et in Odyssea, ubi nomen videmus simul a patre et a matre impositum, θ 550 :

εἴπ' ὄνομ' ὅττι σε κεῖθι κάλεον μήτηρ τε πατήρ τε...
οὐ μὲν γάρ τις πάμπαν ἀνώνυμός ἐστ' ἀνθρώπων...
ἀλλ' ἐπὶ πᾶσι τίθενται ἐπεί κε τέκωσι τοκῆες.

Hoc cum eo loco conferre licet in quo a matre sola nomen imponitur, σ 5-6 :

'Αρναῖος δ' ὄνομ' ἔσκε· τὸ γὰρ θέτο πότνια μήτηρ
ἐκ γενετῆς.

Quidquid de eo judicetur, id tamen constat nominis scilicet notionem cui respondeat ὄνομα ab Iliade non alienam esse etsi

vocabulum ὄνομα, fortuito sane et sine consilio, non saepius quam in locis duobus reperitur

Γ 235 : Νῦν δ' ἄλλους μὲν πάντας ὁρῶ ἑλίκωπας Ἀχαιούς,
οὕς κεν εὖ γνοίην καί τ' οὔνομα μυθησαίμην...
Ρ 260 : Τῶν δ' ἄλλων τίς κεν ᾗσι φρεσὶν οὐνόματ' εἴποι,
ὅσσοι δὴ μετόπισθε μάχην ἤγειραν Ἀχαιῶν;

In Iliade, nomen liberis impositum a patris nomine saepe assumitur,

sive pars una quae in nomine paterno erat in filii nomine iterum reperitur, ita :

Ἀντ-ήνωρ Trojanus, Γ 148 cujus filius	Ἀγ-ήνωρ Φ 545 nominatur.
Ἀντί-μαχος Trojanus Μ 188	Ἱππό-μαχος Μ 189.
Αὐτό-φονος Thebanus Δ 395	Πολυ-φόντης Δ 395.
Σθένε-λος Argivus Τ 123	Εὐρυ-σθεύς (-σθένης) Τ 123
Ἱππό-νοος rex Lyciae schol. ad *Il.* Ζ 155	Ἱππό-λοχος Ζ 197.

(Cum his conferantur in Odyssea Ἀμφι-άραος rex Argivorum ο 244, cujus filius Ἀμφί-λοχος est ο 248, et Τήλεμος Cyclopum vates, cujus filius est Εὔρυ-μος, ι 509).

sive nomen patris et filii nomen ad eamdem basim referenda sunt, exempli gratia :

Ἀζεύς = * Ἀγ-γεύς Orchomenius, Β 513, cujus filius nominatur Ἄκτωρ = * Ἄγ-τωρ.

Magis ambiguum est discernere quanam cognatione inter se jungantur Ὕρτιος Mysus et Γυρτιάδης, Ξ 511 :

Αἴας ῥα πρῶτος Τελαμώνιος Ὕρτιον οὖτα
Γυρτιάδην.

Haud absurdum videatur hanc adstruere emendationem ut aut in versu priori non Ὕρτιον, sed Γύρτιον legatur, et pro Τελαμώνιος Τελαμῶνος, aut in posteriori versu pro Γυρτιάδην Ὑρτιάδην quasi a scriba quolibet legendi imperito pro littera Ⱶ littera Γ

inducta esset. Cui emendationi si creditum sit, in Iliade reperiatur exemplum unum patris suum nomen filio imponentis.

Ut apud eos qui praeclarissima litterarum Graecarum aetate fuerunt, nonnulla adsunt exempla nominum quibus avi nomen revocatur, sic in libro E 547-549 de Trojano Orsilocho dicitur :

> Ὀρσίλοχος δ' ἄρ' ἔτικτε Διοκλῆα μεγάθυμον
> ἐκ δὲ Διοκλῆος διδυμάονε παῖδε γενέσθην
> Κρήθων Ὀρσίλοχός τε, μάχης εὖ εἰδότε πάσης.

Γλαῦκος, Lycius, Sisyphi filius, Bellerophontis pater est (Z 155). Bellerophontes autem pater est Hippolochi, Isandri, Laodamiae (197); Hippolochi filius Γλαῦκος nominatur (206).

Nonnunquam cum patris nomine nomen filii quadam significationis, non figurae cognatione conjungitur :

Μηκιστεύς B 566 "longissimus", cujus filius est Εὐρύαλος B 565 " amplus ".

Ad hoc pertinet in Odyssea :

Φρονίος δ 630 " prudens ", cujus filius est Νοήμων " prudens " δ 648.

In Iliade igitur nomina imponendi rationem eamdem invenimus quae postea apud Graecos est usitata.

Dum ea aetate, qua litterarum Graecarum seges uberrima effloruit, instituitur patronymicum posito in casu patrico patris nomine post nomen filii, in Iliade informantur patronymica in -ιάδης si ad nomina respexeris in -ιος desinentia; si cetera autem nomina consideraveris, in -ίδης, -ίων, -ιος. Aeolica esse videntur patronymica in -ιος desinentia[1]; quae patronymica in -ιάδης vel -ίδης desinunt haud dubiam habent cognationem cum nominibus muliebribus in -άς, -άδος, aut -ίς, -ίδος : Exempli

1. Reinach, *Traité d'épigraphie grecque*, p. 514-515 multa Aeolica patronymica in -ιος desinentia enumeravit.

gratia nonnulla afferam patronymica ex Iliade quae nominibus muliebribus in -ίς, -άς respondent :

Αἰολίδης	Αἰολίς, apud Parthenium, *Erot.* 2.
Δαρδανίδης	Δαρδανίς, apud Aristophanem, *Vesp.* 1371.
Νηλείδης	Νηλητίς, apud Apollonium Rhodium, *Argon.* I, 120
Ὀρμενίδης	Ὀρμενίς, apud Ovidium, *Her.* IX, 50.
Πανθοΐδης	Πανθωίς, C. I. G. 3617, 1.
Πριαμίδης	Πριαμίς, in *Anthologia*, IX, 191.
Φυλείδης	Φυλητίς, apud Apollodorum, II, 7, 8.
Ἀσιάδης	Ἀσιάς, apud Herodotum, IV, 45.
Ἀσκληπιάδης	Ασκληπιάς, in *Anthologia*, V, 156.
Γυρτιάδης	Γυρτιάς, apud Plutarchum, *Lacaen. apophth.*
Κρειοντιάδης	Κρεοντιάς, in *Anthologia*, V, 288.

Verisimile est, ut Lothius decanus me admonuit, nomina patronymica in -ίδης, -ιάδης exeuntia ab iis nominibus muliebribus in -ίς, -άς declinata esse quae eadem sunt ac nomina Indoeuropaeorum antiqua in ῑ desinentia. Quae ab origine significatio esset eorum nominum in -ίς, -άς quae basim praebuerint patronymicis in -ίδης, -άδης dijudicare difficillimum est. Nomina in -ίς, -άς quae supra enumeravimus, aut patronymica sunt velut Αἰολίς, Νηλητίς, Ὀρμενίς, Πριαμίς, Κρεοντιάς, aut nomina tribuum Πανθωίς, Ἀσιάς, aut nomina mulierum Φυλητίς, Δαρδανίς, Ἀσκληπιάς, Γυρτιάς.

Fieri non potest ut e patronymicis muliebribus in -ίς, -άς orta sint patronymica virilia in -ίδης, -άδης. Αἰολίδης enim est filius Aeoli, Αἰολίς filia Aeoli ; nomen fratris a nomine sororis declinatum esse minime verisimile est.

Si autem nomina in -ίδης, -άδης e nominibus tribuum originem duxissent, intellegi non posset quonam modo ea nomina filiationem exprimendi causa assumpta essent, vel ut aliis verbis idem dicamus, quonam modo vocabula ea significatione

late patentia ad sensum angustiorem detrusa essent. Facile contra intellegeretur nomina olim patronymica postea in nomina tribuum conversa esse : singulis enim familiis tribus singulae tempore vetustissimo constituebantur. Sed rem ita se habuisse ut e fine ad principium potius quam a principio ad finem itum sit, nemo sane credat.

A nominibus mulierum in -ίς, -άς declinare videntur patronymica in -ίδης, -άδης. Quae si conjectura vera sit, haec nomina virilia, falso patronymica dicta, recte *matronymica* dici debeant. Filius a matre, non a patre nominatur. Si ab ultimo principio Indoeuropaeorum familiam repetiveris, res quasdam reperies e quibus penes uxorem principatum esse intellegi poterit. Apud Indos enim, ut Delbrückius notavit, mater in libris quibusdam ante patrem nominatur; immo in aliis, mille patres, quod ad respectum attinet, mater valet[1].

Attamen non obliviscendum est longe ante Iliadis aetatem eum matris quasi principatum exstitisse, filiosque a patre, non a matre, in Iliade esse appellatos. Polybius autem dicit apud Locros decus et honorem a matribus non a patribus venire[2]. Lycios Herodotus narrat a matribus, non a patribus nominari[3]. Quod Nicolaus Damascenus comprobat, majoremque refert mulieribus quam hominibus honorem haberi, et filias, non filios, hereditatem adire[4]. Heraclides Ponticus vero apud Lycios narrat mulieres principatum obtinere[5]. Apud Aegyptios etiam filii genus unde orti sunt solo matris nomine demonstrant[6].

Quidquid id est, si quis nolit patronymica in -ίδης, -άδης habere quasi vestigium quoddam aetatis vetustissimae qua civitates

1. *Abhandlungen der philologisch-historischen Classe der Königlichen Sächsischen Gesellschaft der Wissenschaften*, t. XI, p. 381 sq.

2. L. XII, 5, 6.

3. I, 173 : καλεῦσι ἀπὸ τῶν μητέρων ἑωυτοὺς καὶ οὐκὶ ἀπὸ τῶν πατέρων.

4. Λύκιοι τὰς γυναῖκας μᾶλλον ἢ τοὺς ἄνδρας τιμῶσι καὶ καλοῦνται μητρόθεν, τάς τε κληρονομίας ταῖς θυγατράσι λείπουσιν, οὐ τοῖς υἱοῖς. *Fragmenta historicorum Graecorum*, t. III, p. 461.

5. ἐκ παλαιοῦ γυναικοκρατοῦνται, *ibid.*, t. II, p. 217.

6. Maspero, *Histoire ancienne des peuples de l'Orient classique*, t. I, p. 51.

ita constitutae fuissent ut partes primas agerent mulieres, cautius judicabitur eis patronymicis hujus informationis exemplum proponi qua apud nos informata sunt nomina quaedam velut *Alapetite*, *Alasœur*, *Alabergère* etc., e quibus nemo concludat in regione ubi usitata sint regimen civitatis penes feminas unquam positum esse. Nomina in -ίδης desinentia ob eam causam edita sunt quod nullo modo ambigi potest quanam a matre unusquisque sit genitus. Praeterea inter eas gentes apud quas justae sunt viri unius cum feminis pluribus nuptiae, nisi matris nomine filius proprie designari nequit.

Nomina igitur patronymica in -ίδης, -άδης a nominibus mulierum in -ίς, -άς orta esse videntur, non a nominibus tribuum aut a patronymicis muliebribus. Eo jam vetustissimo tempore quo editum est Iliacum carmen, nomen patronymicum solum adhiberi poterat ut hominem designaret, exempli causa Βουκολίων; etiam omnino omissa patronymica vi, Ἁρπαλίων (ab origine Harpali filius), υἱὸς Πυλαιμένεος, velut posteriori aetate Φωκίων υἱὸς Φώκου, Σιμωνίδης υἱὸς Λεωπρέπους. Ea igitur patronymica, vel aetate vetustissima, jam significatione satis circumscripta erant ut ad singulos homines designandos sola adhiberentur, nedum significatione essent late patentia qualia fuissent nomina tribuum[1].

In Iliade nonnulla invenimus papponymica, patronymica scilicet quae a nomine avi, non a nomine patris declinata sunt. Talia sunt Αἰακίδης Ἀχιλλεύς cujus pater Πηλεύς Aeaci filius est; Δαρδανίδης Πρίαμος cujus pater Ἶλος Dardani filius est ; incertum utrum Φηρητιάδης Admetum, Pheretis filium, designet an Eumelum, Admeti filium, B 763, Ψ 376.

In Iliade nonnunquam, non secus atque in consuetudine posteriori, in locum patronymicorum, homines magis aperte

1. Sine causa, Benfey existimavit patronymica in -ίδης a muliebribus nominibus in -ίδ declinata esse quae uxorem designabant, exempli gratia Πριαμίδην filium uxoris Priami esse. Curtius, *Grundzüge der Griechischen Etymologie*[5], p. 641 in nota.

designandi causa nomina succedunt quae locum denotant unde orti sint. Pauca tantummodo exempla afferamus. In libro secundo haec leguntur : Εὐρύτου Οἰχαλιῆος, B 596, qui Oechalia venit, Μέροπος Περκωσίου, B 831, qui Percotae habitat ; in libro quinto decimo invenimus Ὦτον Κυλλήνιον, O 518, Cyllena ortum.

Ut in ea lingua Graeca qua utebantur qui Periclis aetate vixerunt, ita in Iliade usitatus est nominum propriorum pluralis aut dualis numerus ut designarentur duae nominis ejusdem personae, exempli gratia Ἀτρείδαι, Ἀτρείδη δύω ; cum ratione autem quam maxime constat ille numeri pluralis vel dualis numeri usus, ubi de nominibus patronymicis agitur, cum eidem patri duo aut plures filii esse possint. Ubi contra agitur de nominibus personarum, res in ambiguo posita est. Rationis enim trutina si rem perpenderis refugiet animus intellegere quonam modo numerus pluralis ita adhibeatur ut pluralis sit unius personae designatio, quonam modo nomine eodem Αἴαντε et Ajax filius Oilei et Ajax Telamonis filius ambo conjungi potuerint. Itaque hanc induxit Wackernagelius[1] conjecturam nomine Αἴαντε non Ajaces duo, sed potius Ajacem et Teucrum fratrem designari eodem modo quo apud Latinos Pollux et Castor *Castores*[2] dicantur. Si contra non ad rationem, sed ad consuetudinem linguae respicias, nihil obstat quominus duorum pluriumve propriorum nominum quibus duae pluresve personae, aliae ab aliis diversae simul designentur, summa ut ita dicam conficiatur, cum summa ita subducta ad eas personas ipsas de quibus agitur nullo modo attineat. Tunc etiam cum inter homines cognatio nulla est, nomen idem esse satis est, si ad grammaticam respicias, ut nominis proprii pluralis dualisve numerus instituatur. Si contra ad personas, non autem ad nomina respicias, tum intellegas numero plurali assumptum

1. *Zeitschrift für vergleichende Sprachforschung*, t. XXIII, p. 302-310.
2. Apud Servium *in Georg.* III, 89.

esse nomen id quo fratres duo designarentur, e similitudine quadam casus ejus in quo plurali numero assumi poterat nomen patronymicum quo uterque designabantur. Utraque nominis Αἴαντε interpretatione proposita, ratio ipsa argumentum nullum suppeditat quo utramvis altera potiorem habendam esse demonstres, neque litis ita institutae probabilis ullus exitus erit, nisi quis locos ipsos quibus nomen id proferatur, summa diligentia scrutatus sit.

Primo quidem adspectu difficultatem aliquam habet Wackernagelii interpretatio qua principium hoc inducitur, nomine proprio plurali aut duali numero assumpto simul designari posse et hominem unum illud nomen habentem et alterum priori cognatum, cujus alterius nomen non sit expressum.

Analogiae tamen exempla non desunt. Apud grammaticos quosdam legitur vocabulum *nos* numerum multitudinis esse quod numero singulari *ego* respondeat, eodem modo quo vocabulum *equi* multitudinis numerus sit, numero singulari *equus* respondens. Attamen, dummodo hoc attentius scrutatus eris, inter utramque rem similitudinem falsam illius disciplinae vitio adstructam esse intelleges : propositum enim exemplum considerans, non aegre videbis, cum vocabulo communi numerus multitudinis adhibetur, rem eamdem aut bis aut pluries in illam quasi sermonis scenam induci ita ut, quoties nomen multitudinis *equos* dixeris, toties, iis notis omissis quibus diversi equi alii ab aliis differant, audientis animus id tantummodo sit concepturus quo genus equinum constituitur, vel bis vel pluries repetitum. Ut vero eadem esset numeri pluralis condicio nomini proprio vel personali pronomini adhibiti, oporteret personam eamdem simul vel bis vel pluries animo concipi, quod et nullo modo fieri posse ratio ipsa probat, et, perspecta pronominis *nos* natura, manifesto statim apparet : qui enim dicit *nos*, non se ipsum bis vel pluries repetitum mente concipit, cum nisi aegri somniis ista ejusdem personae multiplicatio excogitari nequeat, sed simul et se ipsum et alterum significat

quem a se distinctum intellegit ; eodem modo qui homines ambo alloquens dicit *vos*, non eumdem hominem bis repetitum, sed utrumque eorum quibuscum loquitur, alterum ab altero discrepantem, ut *te* et *alterum*.

In Gallicis hodiernis dialectis quibusdam, si *Pierre et moi* enuntiare volueris dices *nous deux Pierre*. Equidem haec verba usurpare a puero solitus sum quae parentes Bellovaci in ore nonnunquam habebant, etsi apud Cenomanos Redonesque, quoties iisdem verbis utebar vix intellegi poteram. Illa saltem exempla demonstrant haud omnino improbabilem esse Wackernagelii conjecturam.

Iliadis autem locos ubi nominis dualis pluralisve numerus inveniatur jam nunc repetere opportuuum est. Ab 'Ακτορίωνε, Μολίονε initium capiamus.

'Ακτορίωνε in libro secundo 620-621 invenitur :

τῶν μὲν ἄρ' 'Αμφίμαχος καὶ Θάλπιος ἡγησάσθην
υἷες ὁ μὲν Κτεάτου, ὁ δ'ἄρ' 'Εὐρύτου 'Ακτορίωνε.

In optimis codicibus et apud Aristarchum 'Ακτορίωνε legitur, in ceteris autem 'Ακτορίωνος. Amphimachus et Thalpius Actoris nepotes videntur esse, nam Cteatum Actoris filium esse e versu N 185 constat :

ὁ δ''Αμφίμαχον Κτεάτου υἷ ''Ακτορίωνος.

Nomen Μολίονε in libro undecimo reperitur, ubi Nestor magnas res a se gestas narrat.

μετὰ δέ σφι Μολίονε θωρήσσοντο
παῖδ' ἔτ' ἐόντ' οὔπω μάλα εἰδότε θούριδος ἀλκῆς. Λ 709-710.
καί νύ κεν 'Ακτορίωνε Μολίονε παῖδ' ἀλάπαξα
εἰ μή σφωε πατὴρ εὐρυκρείων 'Ενοσίχθων
ἐκ πολέμου ἐσάωσε, καλύψας ἠέρι πολλῇ. Λ 750-752.

Μολίονε vel Ἀκτορίωνε Μολίονε qui in illis versibus commemorantur iidem sane sunt qui Ἀκτορίωνε ab eodem Nestore in libro vicesimo tertio nominantur :

οἵοισίν μ' ἵπποισι παρήλασαν Ἀκτορίωνε. Ψ 638.

Nihil est quod dubitemus quin Ἀκτορίωνε Μολίονε iidem sint atque ambo Actoris filii Cteatus Eurytusque. Ἀκτορίωνε igitur patronymicum nomen est.

Quod ad Μολίονε attinet, fieri non potest ut illud nomen, etsi in principio patronymicum fuisset, nominis perfecti vim adeptum sit ita ut Ἀκτορίωνε Μολίονε Molionem significarent ejusque fratrem, Actoris filios ambos. Nam ille Μολίων nusquam reperitur nisi apud Diodorum Siculum[1]. Molionem quemdam, Euryti filium, ad gentem Actoris referendum esse existimes. Quod minime probabile est, nam Eurytus ille, pater Molionis, Toxei, Clytii, filius Augiae, non Actoris est[2].

Apollodorus autem qui Μολίονε et Μολιονίδας appellat, Actoris uxorem Μολιόνην nominari refert; a matre filii Μολίονε dicti essent. Difficile est scire quonam modo a Μολιόνη aut Μολίονε aut Μολιονίδαι declinata sint, nam velut ab Ἀργέας, Ἀργεάδης, ab Ἱππότης, Ἱπποτάδης, formam Μολιονάδαι a Μολιόνη exspectare licet. Desunt quidem nomina a nominibus muliebribus in -η declinata, illorumque informatio satis obscura est. Quin etiam nullum aliud in Iliade matronymicum nomen invenitur; animadvertendum vero Μολίονε ejus aetatis monumentum forsan esse qua matronymica quaedam etiam tum superfuerint; sed postquam patronymica in locum matronymicorum successerunt, qui antea Μολίονε appellati fuerant, tunc Ἀκτορίωνε nominati sunt; ambo autem nomina in Iliade relata sunt cum jam utrum sincerum juvenum nomen esset ignoraretur. Sed haec hactenus; magis enim ambigua sunt et de figura et de significatione

1. IV, 37, 5.
2. Apud Diodorum, IV, 3, 3.

exempla illa quam ut de re tam controversa certum quiddam argumentum proponatur.

Nomina Αἴαντε, Αἴαντες etiam obscuriora esse videntur. Primum in mentem venit Αἴαντε ita intellegere quasi Ajax Telamonius et Ajax filius Oilei, ambo uno et eodem verbo designarentur. Cum autem Ajaci Telamonio frater sit qui Teucer appellatur, nomen Αἴαντε Ajacem significare potest et fratrem ejus.

Exempla nunc afferamus ubi nomen Αἴαντε, Αἴαντες legitur[1]. N 46, Neptunus Αἴαντε ad pugnam exhortatur :

> Αἴαντε πρώτω προσέφη μεμαῶτε καὶ αὐτώ.

Cum autem Neptunus discessit,

> Τοῖιν δ' ἔγνω πρόσθεν 'Οιλῆος ταχὺς Αἴας,
> αἶψα δ' ἄρ' Αἴαντα προσέφη Τελαμώνιον υἱόν. N 66.

Τοῖιν ambos Ajaces certe designat, praetermisso Ajace Oilei filio; nam πρόσθεν τοῖιν si ex graeco in latinum vertas, *ante ambos illos,* non *prior* significare videtur. Attamen de hac re dubium aliquid relinquitur si versum 91 conferas in quo Homerus refert Neptunum alios Graecos exhortatum esse, inter quos et Teucrum quemdam, Leiti Boeotii comitem :

> Τεῦκρον ἔπι πρῶτον καὶ Λήιτον ἦλθε κελεύων. N 91.

Qui tamen alius esse potest ac Telamonis frater.

In eodem carmine, Ajaces Trojanum quemdam occidunt, nomine Imbrium, occisumque spoliant :

> Ἴμβριον αὖτ' Αἴαντε μεμαότε θούριδος ἀλκῆς... 196
> ὥς ῥα τὸν ὑψοῦ ἔχοντε δύω Αἴαντε κορυστὰ
> τεύχεα συλήτην, κεφαλὴν δ' ἁπαλῆς ἀπὸ δειρῆς
> κόψεν 'Οιλιάδης κεχολωμένος 'Αμφιμάχοιο. N 201-203.

1. Exempla omisimus unde nihil apparet. Haec sunt : Αἴαντε, B 406; Δ 285; E 519; Z 436; K 228; Π 555, 556; P 507, 508, 531, 669, 732, 747, 752; Σ 163; Αἴαντες, H 164; Θ 79, 262; Σ 157; Αἰάντεσσι, Δ 273, 280; M 353; P 668, 707; **Αἴαντας** N 126.

Fieri potest ut Telamonius Ajax Teucerque Imbrium spolient, dum Oilei filius ei caput praecidit.

Ajacem Teucrumque commilitones esse et hic versus (M 400) declarat :

τὸν δ' Αἴας καὶ Τεῦκρος ὁμαρτήσανθ'

et alii multi.

Illa autem quae modo exposuimus argumenta ideo tantum valent quod nihil adstrui potest quo infirmentur. Si autem hoc rectissime a nobis conclusum esse dixeris, haec exempla in quibus nomen Αἴαντε legitur cum versibus, quae verba Αἴαντε δύο Τεῦκρός τε continent, conferenda erunt. Haec sunt :

Αἴαντές τε δύω Τεῦκρός θ' ὃς ἄριστος 'Αχαιῶν
τοξοσύνῃ, ἀγαθὸς δὲ καὶ ἐν σταδίῃ ὑσμίνῃ. N 313-314.
'Ανδρὶ δέ κ' οὐκ εἴξειε μέγας Τελαμώνιος Αἴας. N 321.

Certe quidem hic de Ajace Teucroque agitur; quia, postquam poeta Ajaces ambos nominavit, cum de Ajace Telamonio, tum de Teucro aliquot verba addit : de Ajace Oilei filio silet.

Cum in carmine M 330 Menestheus ducem quaerit qui sibi praesto sit, Ajaces adspicit :

ἐς δ'ἐνοησ' Αἴαντε δύω πολέμου ἀκορήτω,
ἑσταότας, Τεῦκρόν τε νέον κλισίηθεν ἰόντα. M 335-336.

Thooten ad eos mittit :

Αἶψα δ'ἐπ' Αἴαντα προίει κήρυκα Θοώτην·
Ἔρχεο δῖε Θοῶτα θέων Αἴαντα κάλεσσον
ἀμφοτέρω μὲν μᾶλλον... M 342-344
εἰ δέ σφιν καὶ κεῖθι πόνος καὶ νεῖκος ὄρωρεν
ἀλλά περ οἶος ἴτω Τελαμώνιος ἄλκιμος Αἴας
καί οἱ Τεῦκρος ἅμ' ἑσπέσθω τόξων εὖ ειδώς. 348-350

Thootes autem mandatum exsequitur :

> Ὣς ἔφατ 'οὐδ' ἀπίθησε μέγας Τελαμώνιος Αἴας.
> Αὐτίκ' 'Οιλιάδην ἔπεα πτερόεντα προσηύδα·
> Αἶαν σφῶι μὲν αὖθι σὺ καὶ κρατερὸς Λυκομήδης
> ἑσταότες, Δαναοὺς ὀτρύνετον ἶφι μάχεσθαι
> Αὐτὰρ ἐγὼ κεῖσ' εἶμι καὶ ἀντιόω πολέμοιο... M 364-368.
> Ὣς ἄρα φωνήσας ἀπέβη Τελαμώνιος Αἴας
> καί οἱ Τεῦκρος ἅμ' ἧε κασίγνητος καὶ ὄπατρος. M 370-371.

De his locis ambigitur; cum autem Menestheus Thooten monet, ut si Ajaces ambo sibi adesse non possint, Ajacem saltem Teucrumque adducat, inde patet Teucrum unum ex ambobus Ajacibus non esse. Hoc quidem injudicatum relinquo donec Homerica oratio, quam nonnulli interpolaverunt, omnino mendis expurgata sit. Equidem verisimile judico, in antiquissima Homerica oratione, nomine Αἴαντε et Ajacem Telamonium et Teucrum designatos esse. Serius vero, cum prave intellegeretur nomine Αἴαντε Ajacem Oilei filium et Ajacem Telamonium appellatos esse, versus quidam aut adulterati aut omnino interpolati sunt.

Dum posterioribus Iliade aetatibus quotiescumque de persona agitur aut nota aut jam nominata propria nomina cum articulo enuntiantur, in Iliade contra aut nunquam aut perraro reperiuntur nomina hominum quae antecedat ὁ, ἡ. In eis paucissimis quae proferri possint exemplis, verbi gratia :

> Δ 20 : αἱ δ'ἐπέμυξαν 'Αθηναίη τε καὶ Ἥρη
> B 402 : αὐτὰρ ὁ βοῦν ἱέρευσεν ἄναξ ἀνδρῶν 'Αγαμέμνων
> N 690 : οἱ δ'ἅμ 'ἕποντο
> Φείδας τε Στιχίος τε Βίας τ' ἐύς·
> Δ 524 : Ὁ δ'ἐπέδραμεν, ὅς ῥ'ἔβαλέν περ
> Πείροος·
> Φ 67 : Ἤτοι ὁ μὲν δόρυ μακρὸν ἀνέσχετο δῖος 'Αχιλλεύς.

CAPUT TERTIUM

De significatione nominum.

Si quis inquirere voluerit quaenam sit eorum nominum significatio quae casu, non autem continuo sint propria, ea duobus generibus adscribi posse intelleget quorum generum prius ea contineat nomina quae ad partem aliquam personae pertineant, sive patriam ejus, sive quid aut corpori aut animo peculiare, sive enuntient quanam in occupatione sit versatus, alterum vero eis nominibus constet quae instituta collatione vel cum re inanima, vel cum planta aut animali, inde ad personam ipsam traducantur. A priori autem genere operis nostri initium sumetur.

De priori genere nominum.

I. — *De nominibus quae locum denotant.*

Nomina aut populorum, aut incolarum, aut urbium, aut locorum in Iliade personis designandis saepe adhibentur. Id vero notandum est eorum nominum significationem plerumque talem esse ut nec patriae nec loco conveniant ubi vere inhabi-

Itaque ex eo quod in Iliade sine articulo semper exprimantur nomina propria, ea a communibus vocabulis natura discrepare temere concludatur : articulus enim cum vocabulis communibus, nisi sensu demonstrativo non adhibitus est et cum eis tantummodo vocabulis paucissimis quae jam rettulimus, eamdem fere significationem habere videtur quam pulcherrima Graecarum litterarum aetate sumpsit.

Quae jam dicta sunt brevius commemorandi causa, in nominibus propriis quae carmine Iliaco continentur nihil quod vel ad originem, vel ad formam, vel ad usum attineat esse censemus quo ab iis nominibus propriis discrepent quae posterioribus aetatibus usitata sunt. Quod omnino comprobatum apparebit postquam diligentior instituta erit inquisitio de singulis iis nominibus quae eadem sunt ac vocabula communia.

CAPUT TERTIUM

De significatione nominum.

Si quis inquirere voluerit quaenam sit eorum nominum significatio quae casu, non autem continuo sint propria, ea duobus generibus adscribi posse intelleget quorum generum prius ea contineat nomina quae ad partem aliquam personae pertineant, sive patriam ejus, sive quid aut corpori aut animo peculiare, sive enuntient quanam in occupatione sit versatus, alterum vero eis nominibus constet quae instituta collatione vel cum re inanima, vel cum planta aut animali, inde ad personam ipsam traducantur. A priori autem genere operis nostri initium sumetur.

De priori genere nominum.

I. — *De nominibus quae locum denotant.*

Nomina aut populorum, aut incolarum, aut urbium, aut locorum in Iliade personis designandis saepe adhibentur. Id vero notandum est eorum nominum significationem plerumque talem esse ut nec patriae nec loco conveniant ubi vere inhabi-

taverint personae ita designatae. Rem enim aliter se habuisse aegre intellegas, nam ubi a nominibus populi urbisve discerni non potuissent, non inveniuntur ea nomina quae vim significandi non satis magnam habuissent.

Nomina e populis sumpta suppeditant vel Europae vel Asiae populi.

Haec nomina populorum Europaeorum sunt :

Ἐπειοί, populus Elidis, B 619.

Ἐπειός, Graecus, Ψ 665.

Ἄβαντες, populus Euboeae, B 536.

Ἄβαντα, Trojanum, E 148.

Δόλοπες, populus Thessaliae, I 484.

Δόλοπα, Graecum, Λ 302.

Θέσσαλοι. Thessali, apud Pindarum et Aeschylum ; apud Homerum autem id nomen non legitur.

Θεσσαλοῦ, Graeci ex insulis Aegaei maris, B 679.

Πελαγόνες, populus Macedoniae, apud Strabonem VII, fragm. 38.

Πελάγων, Lycius, Sarpedonis comes, E 695.

Πελάγοντα, Pylium, qui in libro Δ 295 nominatur, nomen ex eodem populo ducere opinor; nomina enim quae in casu nominandi in -ων exeunt, in casu patrico aut in -οντος, aut in -ωνος, aut in -ονος exitum habent. Ita in patrico casu leguntur Σαρπηδόνος Π 327, 496, 533, 553, P 162 ; Σαρπήδοντος M 379, Ψ 800 ; in casu dandi Σαρπηδόνι E 629, Π 649 et Σαρπήδοντι M 392 ; Κόωνι in casu dandi Λ 256 ex eodem vocabulo declinatum est e quo -κόωντα in casu accusandi (Δηι-κόωντα E 534 ; Δημο-κόωντα Δ 499 ; Ἱππο-κόωντα K 518). Quibuscum conferatur Τεύθραντα E 705, Τευθρανίδην Z 13. Etiam animadvertendum est nomen velut *Πελάγονα in versum induci non posse, cum tres breves continuae sint. Idem de *Τευθραντίδης dicendum est quod unam brevem inter duas longas praebet.

Μυγδόνες, populus Thraciae, apud Strabonem, VII, 3, 2.
Μύγδονος, regis Phrygiae, Γ 186.

Ex insula Aegaei maris ortum est nomen unum :
Ἴμβριος, Imbrius, cf. Ἴμβρου, N 33.
Ἴμβριον, Trojanum, N 171. Incertum est utrum Ἴμβριος Ἠετίων Φ 43, Imbrium filium Eeti designet an Eetiona ex insula Imbro ortum. Nomen Ἴμβριος nusquam nisi in Iliade personam singularem denotat.

Ad populos Asiae haec nomina referenda sunt :

Δάρδανοι, Dardani, Γ 456, etc.
Δάρδανον, Υ 215, rex Trojanorum, Δάρδανον, Υ 460, Trojanum.
Dardanus autem in Iliade Dardanorum heros eponymus est. Ita, si Straboni[1] credideris, Mygdones e Thracia orti in Phrygiam aut in Mysiam migraverunt. Mygdonum igitur heros eponymus habendus foret Mygdon rex Phrygum. Sed merito suspectam judicaveris eam veterum grammaticorum consuetudinem qui nomen populi e personae cujusdam nomine fingere soleant. Ut enim verisimile est populum regis sui nomine nonnunquam appellatum esse, ita plerumque fabulosi cujusdam conditoris mendacium eo consilio excogitatum est ut populi nomen, quod per se ipsum aegre intellegendum esset, eo modo intellegeretur.

Παίονες, populus Phrygiae, B 848.
Παιονίδην Ἀγάστροφον, Λ 339, 368.

Μαίων, Δ 394, in casu accusandi Μαίονα, dux Thebanorum nomen habere videtur idem atque nomen Maeonum qui in Iliade Μήονες appellantur (B 864, 866 ; Δ 141, K 430, 431 ; Σ 292), quos autem Stephanus Byzantius Μαίονας nominat. Quod ad Iliadem attinet, MHIONES, id est MAIONES si pro η ionico ᾱ

1. VII, 3, 2 ; cf. Pausaniam, X, 27, 1.

ponas, omnino consimile est nomini ΜΑΙΩΝ. Μαίων autem a Μηονες scriptura, non pronuntiatione differt.

Τευκροί, populus qui ex Creta in Troadem venit, apud Herodotum II, 118 ; cf. Strabonem, XIII, 1, 48.
Τεῦκρος, filius Telamonis, Z 31.

Φοίνικες, Phœnices, Ψ 744.
Φοῖνιξ, Achillis praeceptor, I 427; Φοίνικος, Europae patris, Ξ 321.

Nomina incolarum urbium haec sunt :

E Graecia :

Θηβαῖοι, Thebani, κ 492.
Θηβαίου, Trojani, Θ 120. In Iliade tantummodo invenitur.

Πυλαῖοι, Pylaei, apud Stephanum Byzantium.
Πύλαιος, Pelasgorum dux, B 842. Forsitan hypocoristicum pro nomine copulato Πυλαιμένης positum sit.

Ex Asia :

Τρῶες, Trojani, A 256.
Τρώς, rex Trojanorum, Υ 230; Τρῶα 'Αλαστορίδην, Trojanum Υ 463.

Θυμβραῖον, Thymbraeus campus, apud scholiastam ad Iliadem Ω 257; cf. Θύμβρης, K 430; Θυμβραῖος, Thymbraeus.
Θυμβραῖον, Trojanum, Λ 320. In Iliade tantummodo nomen est; alibi autem cognomen Apollinis.

'Ιδαῖος, Idaeus, Π 605 : Διὸς 'Ιδαίου.
'Ιδαῖος, filius Daretis, E 11 ; 'Ιδαῖος, Trojanorum praeco, Γ 248.

Ut nomina populorum ad personas transisse et apud nos *Langlois, Lallemand, Français* et apud Latinos *Gallum, Roma-*

num, Italicum exemplis non paucis comprobatur, sic per ellipsim haud ambiguam effectum est nonnunquam ut personis imponerentur non jam nomina e nominibus locorum declinata, sed ipsa qualia erant locorum nomina: ejus generis exempla referunt apud nos *Paris, Bréal, Fougères, Redon,* etc. Sic adhibita reperiuntur in Iliade oppidorum fluminumque nomina nonnulla. Plerumque dubium est utrum homo ab urbe nomen ducat an rursus urbi a se conditae nomen suum imposuerit.

Nomina urbium haec sunt :

E Thessalia :

Πύρασος, B 695 : Πύρασον ἀνθεμόεντα.

Πύρασον, Trojanum, Λ 491. Illud nomen tantummodo in Iliade reperitur.

Urbs Thessaliae quae plerumque 'Ορμένιον vel 'Αρμένιον dicitur, in Iliade autem 'Ορμένιον, B 734, apud Hesychium Ὅρμενος nominatur. Quod nomen idem est atque nomen duorum Trojanorum : Ὅρμενον, Θ 274, Ὅρμενον, M 187 invenimus.

E Phocide :

Πανοπεύς, B 520 : Πανοπῆα.

Πανοπῆος, Graeci, Ψ 665; nusquam nisi in Iliade nomen illud invenitur.

Ex Argolide :

Τροίζηνος, apud Stephanum Byzantium, v° Γέργις.

Τροιζήνοιο Κεάδαο, Ciconis, B 847. Incertum est utrum sit Troezenus Ceae filius, an Ceades ex urbe Troezene.

E Creta :

Ὑρτακός, apud Stephanum Byzantium.

Ὕρτακος, socius Trojanorum, N 771, 759. Nomen illud in Iliade tantum invenitur.

Φαιστός, B 648.

Φαῖστον[1], Maeonem, E 43.

E Troade :

Πήδασος, Z 35 : Πήδασον αἰπεινήν.

Πήδασον, Trojanum, Z 21. Nomen illud quod in sola Iliade legitur, nomen et equi Achillis est Π 467.

E Cilicia :

Σαρπηδών, apud Scylacem, 102.

Σαρπηδών, Lyciorum dux, B 876 etc., qui e Creta in Lyciam, si Herodoto (I, 173) credideris, venit.

Aliquot nomina hominum eadem sunt ac fluminum nomina. Aegre crediderim aliquam locorum commemorationem iis nominibus asservatam esse, nam in linguis recentioribus nominum quae eo modo formata sint exempla paucissima reperiuntur. Attamen cum nemini non compertum sit diu et ubique apud veteres viguisse consuetudinem aquis cultus adhibendi, si quando fluminum nomina ad homines designandos assumpta sunt, id piae mentis consilio forsan effectum esse non negaverim.

Fluminum nomina haec sunt :

E Troade :

Ῥῆσος, M 20.

Ῥῆσος, Thracum rex, K 435. Pottius autem nomen Rhesi ad neograecum ῥῆσον refert, quod vocabulum pro chao est; cf. germ. *Luchs*.

Αἴνιος, apud Strabonem, XIII, 1, 44.

1. Schol. A ad E 43 : προπερισπᾶται ἐπὶ τοῦ ἥρωος, ἐπὶ δὲ τῆς πόλεως ὀξύνεται.

Αἴνιον, Paeona, Φ 210. Nomen illud, quod nusquam alibi invenitur, pariter ad Αἶνον nomen urbis Thraciae aut ad vocabulum αἰνόν « terribilem » referri potest.

E Mysia :

Αἴσηπος, M 21.
Αἴσηπος, Trojanus, Z 21.

Ἀσκάνιος, apud Strabonem, XIV, 5, 29.
Ἀσκάνιος, Phrygum dux, B 862; Ἀσκάνιον, Mysum, N 792.

E Samo :

Ἴμβρασος, apud Strabonem, X, 2, 17.
Ἰμβρασίδης Πείροος, Pirous Imbrasi filius, Thrax, Δ 520. Apud Cares autem nomen Ἴμβρασις, Ἴμβαρσις invenitur[1].

E Scythia :

Μάρις, apud Herodotum, IV, 48.
Μάρις, Lycius, Π 319.

Nonnulla ad locorum vocabula pertinentia nomina significationem habent minus circumscriptam. Alia epitheta sunt ad regiones accommodata, exempli gratia :
ἄξυλος, incaeduus, Λ 155 :

Ὡς δ'ὅτε πῦρ ἀίδηλον ἐν ἀξύλῳ ἐμπέσῃ ὕλῃ

Ἄξυλον, Thracem, Z 12.

Alia vero, epitheta quae habitationem denotant. Sunt quae ad regiones maritimas pertineant :

ἀγχίαλος, mari vicinus, B 640 : Χαλκίδα τ' ἀγχίαλον.
Ἀγχίαλον, Graecum, E 609. In Odyssea autem Ἀγχίαλος et Phaeacem et Ithacum designat. Phaeaces enim fere omnes

1. Haussoullier, *Bulletin de correspondance hellénique*, t. IV, p. 316.

nomina habent quae ad mare pertinent, verbi gratia : Ἀμφίαλος, Ποντεύς, Ποντόνοος, Ὠκύαλος, Ἐχένηος, Ναυσίθοος, Πολύνηος, Κλυτόνηος, Ναυτεύς, Ἐρετμεύς, Πρυμνεύς, Πρωρεύς. Phaeaces rei maritimae omnino deditos esse ex Odyssea η 108 constat.

ἅλιος, maritimus, Σ 141 : γέρονθ' ἅλιον.

Ἅλιον, Lycium, E 678. In Odyssea Phaeax quidam Ἅλιος nomine dicitur, θ 119, 370. Quod ad significationem attinet, Latina confer cognomina *Pelagium, Maritimum,* germ. *Seemann.*

αἰγιαλεύς, qui in litore habitat; apud Nicandrum, *Ther.,* 286.

Αἰγιάλεια, uxor Diomedis, E 412.

Nonnulla autem ad montana pertinent.

ὀρέσβιος, « qui in montibus vitam degit », apud Oppianum, *Cyn.* 3, 345.

Ὀρέσβιον, Thebanum, E 707. Quod ad significationem attinet, cf. lat. *Montanum,* germ. *Bergmann,* gall. *Dumont.*

Ὦρον, Λ 303, quod Vaniček cum nomine Aegyptiorum regis Hor confert, ad ὦρος referendum esse censeo. Nulla enim causa est cur Ὦρος, Graecus quidam, a peregrina origine ortus sit; ὦρος autem dorice pro ionico vocabulo οὖρος dicitur. Res si ita se haberet unam saltem nominis formam e dialecto dorica assumptam in Iliade haberemus.

Epitheta etiam urbium ad personas designandas adhibita sunt :

ὑψίπυλος, qui altas portas habet : Z 416 : Θήβην ὑψίπυλον.

Ὑψιπύλη, Iasonis uxor, H 469.

εὐρύπυλος, « qui latas portas habet », apud Hesychium.

Εὐρύπυλος, dux Thessalorum, B 736; Εὐρυπύλοιο, regis Coi, B 677.

Immo vocabulo vestibuli homo unus nominatur.

πυλών, vestibulum, apud Aristotelem, *Mund.* 6, 9.

Πύλωνα, Trojanum, M 187. Cf. gall. *Laporte.*

Quod nomen sane cum iis conferendum est :

πυλάρτης, « qui portas habet bene compactas », Θ 367.

Πυλάρτην, nomen duorum Trojanorum, Λ 491, Π 696, Hades autem et in Iliade et apud multos scriptores πυλάρτης cognomine dictus est.

Ad ea pertinet et Πύλαιος, si ejus nominis interpretatio sit « qui est extra portas », non Pylaeus, Cf. lat. *Forensem*, germ. *Thormeyer*, *Dormann*.

II. *De nominibus quae ad bona corporis pertinent.*

Alia colorem designant aut capillorum, aut vultus, aut oculorum.

ξανθός, flavus : Γ 284 : ξανθὸς Μενέλαος.

Ξάνθον, Trojanum, E 152. Cf. lat. *Flavum, Fuscum*; germ. *Gelbhaar*. Eodem nomine et flumen Troadis (e. g. Υ 74) et equus Achillis (Π 149, Τ 405) designantur. Vocabula colorum ut equos denominent in Iliade nonnunquam adhibita sunt, velut Αἴθων rufus, Αἴθη rufa, Βαλίος varius.

μέλας, niger, cf. ἄρνα μέλαιναν, Γ 103.

Μέλας, Aetolus, Ξ 117. Cf. lat. *Nigrum*, gall. *Lenoir*, germ. *Schwarz*, angl. *Black*.

λευκός, albus, E 503, Ἀχαιοὶ λευκοὶ ὕπερθε γένοντο κονισάλῳ.

Λεῦκον, Graecum, Δ 491. Forsitan sit hypocoristicum a nomine Λευκόδωρος vel Λευκόλοφος declinatum. Attamen non desunt in aliis linguis nomina consimilia : lat. *Albus, Candidus*, gall. *Leblanc, Blanchard*, germ. *Weiss*, angl. *White*.

γλαυκός. In Iliade de mare tantummodo dicitur : Π 34.

Γλαῦκος, Lyciorum dux, B 876, ejus proavus Z 154. Cf. lat. *Caesium*, gall. *Levert*, germ. *Grün*, angl. *Green*.

Φοῖνιξ, nisi populi nomen est, ad illa nomina referendum; φοῖνιξ enim *ruber*, *rutilus* est. Cf. germ. *Roth*, lat. *Rutilum*.

Ejusdem generis sunt nomina quae splendorem denotant (cf. lat. *Fulgentium*, germ. *Bercht*, angl. *Bright*) :

ἀγλαΐη, splendor, σ 180.

Ἀγλαΐης, matris Nirei, B 672.

ἦνοψ, splendidus, Π 408 : ἤνοπι χαλκῷ.

Ἤνοπι, Mysio, Ξ 445; Ἤνοπος, Graeci, Ψ 634; cf. lat. *Lepidum*, *Nitidum*. Hoc nomen nusquam nisi in Iliade reperitur.

φαῖνοψ, lucidus, apud Manethonem, IV, 239 : φαίνοπι ῥόμβῳ.

Φαίνοπος, Trojani, E 152; Φαίνοπι, Trojano, P 583; Φαίνοπος, Trojani, P 312.

πολυδευκής, nitidissimus, apud Nicandrum, *Ther*. 209 ἐχιδνήεσσαν πολυδευκέα μόρφην, et 625 ἑλιχρύσοιο πολυδευκέος. Significatio ambigua est nisi ad etymologiam spectes, πολυδευκής = *πολυλευκής.

Πολυδεύκεα, Pollucem, Γ 237.

ἀστεροπαῖος, apud Cornutum, *N. D.* 9, cf. ἀστεροπήτης.

Ἀστεροπαῖος, dux Paeonum, P 217, cf. M 102, P 351, 352; filius Pelegonis, Φ 140. Hoc nomen in Iliade tantummodo reperitur.

Alia nomina ad staturam pertinent.

μέγας, magnus : μέγας Ἕκτωρ B 816; Αἴας μέγας, I 169; Πρίαμος μέγας, H 427.

Μεγάδην Πέριμον, Trojanum, Π 695, cujus pater *Μέγας est. Μέγας autem nomen ambiguum est. Hypocoristicum enim esse potest, pro Μεγαμήδης, Μεγαπένθης. Accedit quod permulta Persarum nomina sunt, quorum pars prior Μεγα- est, quod sane vocabulum *baga*, deum, refert. Exempli gratia afferantur Μεγα-

βάζης, Μεγαβάτης, Μεγαβέρνης, Μεγάβυζος, Μεγαδόστης, Μεγασίδρας, Μεγαφέρνης[1]. Attamen cf. lat. *Magnum*, germ. *Hoch*, *Lang*.

εὐρύαλος, amplus, de regione dicitur, apud Oppianum, *Hal.* I, 62.
Εὐρύαλος, Argivorum dux, B 565, cf. lat. *Crassum*, gall. *Lelarge*, *Legros*, germ. *Dicke*.

εὔφορβος, bene nutritus : ἀγέλαις βοῶν εὐφόρβοισι, apud Orpheum, *Terr. mot.* 65.
Εὔφορβος, Dardanus, Π 808. Cf. germ. *Fette*.

Alia autem vim significant :
ἄλκιμος, firmus, ἄλκιμος Αἴας, M 349.
Ἄλκιμος, Myrmido, T 392, Ω 474, 574. Cf. lat. *Firmum*, gall. *Lefort*, germ. *Stark*.

ἀγασθενής, « valde robustus », apud Oppianum, *Cyn.*, II, 3.
Ἀγασθένεος, Graeci, B 624. Hoc nomen nusquam alibi reperitur.

ἶφια, robusta, E 556 : ἶφια μῆλα.
Ἶφις, Patrocli serva ex insula Scyro, I 667. Apud Lycophronem 324, Ἶφις pro Ἰφιγένεια dicitur. Eodem modo Ἶφις in Iliade hypocoristica figura nominis copulati Ἰφιάνασσα (I 145) esse potest.

σῶκος, robustus, Υ 72, cf. σωκεῖν, valere, apud Aeschylum *Eum.* 36.
Σῶκος, Trojanus, Λ 428. Quod ad significationem attinet, cf. gall. *Vigouroux*.

Alia, sollertiam.
δαίδαλος, artificiosus, E 60 : ὃς χερσὶν ἐπίστατο δαίδαλα πάντα τεύχειν.
Δαίδαλος, artifex Cretensis, Σ 592. Quod ad figuram attinet, cf. Μαίμαλον, Myrmidona, Π 194.

1. Bréal, *De Persicis nominibus apud scriptores Graecos*, p. 15.

αἴμων, peritus, E 49 : αἴμονα θήρης.

Αἴμονα, Pylium, Δ 296 ; Αἱμονίδης Μαίων, Thebanorum dux, Δ 394 ; Αἱμονίδαο Λαέρκεος, Myrmidonis, P 467. Probabiliter non est Αἴμων idem atque αἴμων cruentus, quod vocabulum apud Aeschylum, *Suppl.* 847 reperitur.

πολυαίμων, peritissimus, apud Aeschylum, *Suppl.* 840.

Πολυαιμονίδην Ἀμοπάονα, Trojanum, Θ 276, cujus pater Πολυαίμων est ; hoc nomen in Iliade tantum invenitur.

δεξιός, dexter, cf. Φ 163 : ὁ δ'ἁμαρτῇ δούρασιν ἀμφὶς / ἥρως Ἀστεροπαῖος, ἐπεὶ περὶ δεξιὸς ἦεν. Cf. Pindarum, *Isthm.* 4, 61.

Δεξιάδην Ἰφίνοον, H 15, fortasse Iphinoum Dexii filium :

> Ἰφίνοον βάλε δουρὶ κατὰ κρατερὴν ὑσμίνην
> Δεξιάδην.

At nonnulli δεξιάδην legerunt quod adverbium est « a dextra parte » significans, cf. κρύβδην.

Nomina quae ad incessum pertinent haec sunt :

Ὄρμενος, qui irrupit, cf. Λ 572 : τὰ δοῦρα... ὄρμενα πρόσσω, Δ 421 : ἄνακτος ὀρνυμένου.

Ὄρμενον, Trojanos duos, Θ 274, M 187.

εὐρυβάτης, « qui pleno gradu ingreditur », cf. εὐρύβατον Δία apud Aristophanem, fr. 233.

Εὐρυβάτην, praeconem Agamemnonis, A 320.

σχέδιος, propior ; de telis dicitur apud Aeschylum, *Choeph.* 162 : σχέδια ξίφη, cf. Hesychium : σχέδιον δόρυ ὃ μὴ ἀκοντίζεται ἢ ἐκ τοῦ συνέγγυς.

Σχεδίος, Phocensium dux, B 517.

ὅδιος, qui in via occurrit, apud Aeschylum, *Ag.* 104 : ὅδιον κράτος αἴσιον ἀνδρῶν, cf. 157, et apud Euripidem, *El.* 162 : πικρᾶς ἐκ Τροίας ὁδίου βουλᾶς.

'Οδίος, B 856, Halizonum dux ; I 170, Graecorum praeco. Cf. gall. *Routier*.

Nomina nonnulla eodem notionum genere creata, sed significatione sua certius definita ad partes corporis diversas sunt referenda.

Ad pedes pertinet :

ποδάρκης, pedibus celer, A 121 : ποδάρκης δῖος 'Αχιλλεύς, cf. πόδας ὠκύς.

Ποδάρκης, Thessalus, B 704. cf. lat. *Celerem*, germ. *Schnell*, *Lichtfuss*, angl. *Lightfoot*.

Ad oculos autem :

βῶροι · ὀφθαλμοί, apud Hesychium.

Βῶρος, Maeo, E 44 ; Βώρῳ, Thessalo, Π 177. Cf. lat. *Ocellum*.

ἐριῶπις, quae magnos oculos habet, in epigrammate *Homerico* 1, 2.

'Εριώπιδος, matris Ajacis Oilei, N 697.

χάροψ, qui oculis acribus adspicit, apud Oppianum, *Cyn.* III, 114.

Χάροπα 'Ιππασίδην, Trojanum, Λ 426.

χαροπός idem significare videtur λ 611 : χαροποί τε λέοντες.

Χαρόποιο, Graeci ex insula Syme, B 672.

Nomen unum e quadam corporis deformitate sumptum videtur :

μυδών, caro fungosa in ulcere, apud Pollucem, IV, 191.

Μύδωνα, Paphlagonem, E 580 ; Paeonem, Φ 209.

Ut vocabula quae corporis habitum aliquem commemorant, sic ea quoque quae ad aliquem animi habitum sunt referenda hominibus imposita sunt ; sine ellipsi quidem, cum ea nomina sunt adjectiva, rursus per ellipsim ubi sunt substantiva. Eam

autem ellipsim, cujus opere nominis proprii indolem partesque suscepit vocabulum quoddam abstractum, eodem animus artificio elaboravit quo, si quis virtute aliqua excellere visus est, ejus modi confusio instituitur ut qui excellit eam ipsam qua excellit virtutem, integram et quasi vitae donatam personam, repraesentare videatur.

Nomina quae prudentiam vel cogitationem significant haec sunt :

φροντίς, cogitatio, apud Pindarum, *Ol.* I, 30.

Φρόντιδι, Panthoi uxori, P 40. Cf. gall. *Conscience*, *Raison*.

φράδμων, prudens, Π 638.

Φραδμονίδην 'Αγέλαον, Trojanum, Θ 257. Cf. lat. *Prudentem*, *Prudentium*, gall. *Prudent*, *Lesage*, germ. *Weise*.

νοήμων, mentis compos, β 282.

Νοήμονα, Lycium, Ε 678; Νοήμονι, Pylio, Ψ 612.

πρόνοος, providus, apud Aeschylum, *Suppl.* 969.

Πρόνοον, Trojanum, Π 399.

Ad diligentiam pertinet 'Επίστροφος, Phocensium dux, Β 517; Halizonum dux, Β 856; Trojanus, Β 692. Cf. lat. *Diligentem*.

ἐπίστροφος, diligens, α 177, si recte interpretatus sim eum versum :

ἐπεὶ καὶ κεῖνος ἐπίστροφος ἦν ἀνθρώπων

quem Hesychius ita enodavit : ἐπιστροφὴν ποιούμενος καὶ φροντίζων, ἐπιμελητής.

Huic nomini opponitur οὐκ ἀλέγων " qui non curat ".

Οὐκαλέγων, Trojanus, Γ 148. Cf. lat. *Securum*, germ. *Ohnesorge*.

ad hospitium :

πάνδοχος, hospitalis, apud Pindarum, *Ol.* III, 31.

Πάνδοκον, Trojanum, Λ 490. Cf. lat. *Hospitalem*, gall. *Lhoste*, *Lhotelier*. Nomen illud in Iliade tantum reperitur. Nomen nostrum *Lhoste* quod nomini Graeco Πάνδοκος primo aspectu conferendum videtur, duplici tamen interpretatione diverse intellegi potest. Eodem enim vocabulo aut virtutem ut πάνδοκος aut, ut πανδοκεύς, ejus operam significat qui tabernae deversoriae locator apud nos dicitur *hôtelier*. Utrum vocabulum πάνδοκος ea aetate qua deposita vocabuli communis natura nomen proprium factum est duplicem significationem retinuerit quae apud nos vocabulo *hôte* tribuatur, an rursus alterutram significationem servaverit, frustra, ut opinor, disputaretur, cum nullum sit neque unquam futurum sit argumentum quo litem ita institutam solvere rectum et justum sit.

πολύξεινος, qui multos hospites habet aut excipit, apud Hesiodum, *Op.* 715, 722.

Πολύξεινος, Epeorum dux, B 623. Cf. lat. *Hospitem*.

Ad munificentiam :

εὔδωρος, qui copiose donat, apud Oppianum, *Hal.* II, 39.

Εὔδωρος, Myrmidonum dux, Π 179.

πολύδωρος, qui multa donat vel accipit, in Iliade autem semper cum vocabulo ἄλοχος conjungitur et significare videtur dotatam ; exempli gratia X 88.

Πολύδωρον, Epeum, Ψ 637; Πολύδωρον Πριαμίδην, Υ 407. Cf. lat. *Donatum*.

Ad justitiam :

ἔννομος, justus, apud Aeschylum, *Suppl.* 404.

Ἔννομος, Mysorum dux, B 858; Trojanus, Λ 422. Nomen illud nusquam nisi in Iliade reperitur. Cf. lat. *Justum*, germ. *Gerecht*.

Ad felicitatem :

μάκαρ, beatus, Γ 182.

Μάκαρος, Lesbi regis, Ω 544. Cf. gall. *Lheureux*, lat. *Felicem*, germ. *Glück*.

ἀρετάων, felix, cf. τ 114.
'Αρετάονα, Trojanum, Z 31. Nomen illud in Iliade tantum invenitur.

Ad virtutem, fortitudinem :
θρασυμήδης, consilio audax, apud Pindarum, *Pyth.* IV, 254.
Θρασυμήδεα Νεστορίδην, I 81.

ἄτρευς, impavidus, in Etymologico magno, et apud Euphorionem Chalcidicum.
'Ατρεύς, pater Agamemnonis et Menelai, B 106 etc. Nomen illud in Iliade tantum invenitur.

ἄδρηστος, qui non fugit, apud Herodotum, IV, 142.
"Αδρηστος, rex Sicyonis, B 572 etc.; Trojanus ex urbe Adrastia, 830; Trojanus, Z 45; Trojanus alter, Π 694.

ἄδμητος, indomitus. In Iliade tantummodo de bove dicitur, K 293 : βοῦν ἀδμήτην.
'Αδμήτοιο, regis Pherarum, B 713.

ἀδάμας, indomitus, apud Theocritum, II, 34.
'Αδάμας, Trojanus, N 771. Cf. lat. *Invictum*.

ἀγαπήνωρ, strenuus, Θ 114, N 756, O 392, Ψ 113.
'Αγαπήνωρ, rex Arcadum, B 609. Nusquam alibi nomen illud reperitur; idem significare videtur (Cf. B 276, I 699) :
'Αγήνωρ, Trojanus, N 598. Cf. lat. *Fortem, Audacem*, germ. *Kühn*.

Omnibus illis nominibus quae ad dotes animi pertinent haec opponuntur quae ad vitia animive mala referenda sunt :
γόργυθος, ferus, terribilis, in Etymologico Magno.

Γοργυθίωνα, Priami filium, a nomine Γόργυθος (Athen., VIII, 340c) nomen ducere censeo. Cf. germ. *Zorn*, *Zürner*.

πολυνεικής, litigiosus, apud Aeschylum, *Sept*. 830.
Πολυνείκει, Δ 377, Thebano.

ἄγριος, rudis, ferus, β 19.
Ἄγριος, Aetolus, Ξ 117; cf. gall. *Sauvage*, angl. *Wild*, lat. *Agrestem*.

ἀλάστωρ, scelestus, apud Aeschylum, *Pers*. 354.
Ἀλάστωρ, Trois pater, Υ 463; Lycius, E 677; Pylius, Δ 295.

ἀρητός, detestabilis, P 37 : ἀρητὸν γόον.
Ἄρητος, Priami filius, P 494. Idem nomen in Odyssea Nestoris filium designat γ 414.

ὑπερήνωρ, nimis ferox, cf. ὑπερηνορέων, Δ 176, quod ubique in vitio ducitur; ὑπερήνωρ autem apud Hesiodum invenitur, *Theog*. 995.
Ὑπερήνορα, Trojanum, Ξ 516. Cf. lat. *Superbum, Ferocem*, germ. *Stolz*.

Ambigi potest an ejus modi nomina quae in Iliade aut in operibus posterius editis significationem habent malevolam, vim eamdem eo tempore jam haberent cum personis nominandis adhibita sunt. Sic in lingua nostra *Mescheant* nomen hominis ad eam aetatem probabiliter referendum videtur qua *mescheant* verbi *mescheoir* participium hominem significabat malam fortunam sortitum. Eodem modo intellegi potest ἀλάστωρ qui destruit (hostes), ἄρητος qui est invisus (hostibus), vel a suis desideratus (cf. lat. *Exoptatum*, gall. *Désiré*), ὑπερήνωρ superbus, πολυνεικής pronus ad jurgia (bellica), γόργυθος vehemens in pugna, ἄγριος qui in agris habitat. Ea autem interpretatio, etsi probabilis videatur, nullo tamen argumento confirmari potest. Nam oportet memoria teneatur in linguis omnibus nomina inveniri quorum significatio tam aperte malevola sit

ut nullo modo emendari vel aliter intellegi possint. Talia sunt apud nos nomina ***Meauvais***, ***Mauvillon***, apud Germanos *Schlecht*, apud Graecos Αἰσχρός. Talia nomina fortasse non a parentibus sumpta sunt ut pueris imponerentur, sed a malevolis quibusdam inventa veri nominis locum denique usurpavere.

IV. — ***Permulta nomina orta esse videntur ex ordinibus singulis qui in civitatibus fuerunt aut e muneribus artibusve quae diversa diversi homines sortiti sunt.***

Nomina quibus duces designantur haec sunt :

κοίρανος, dux, B 204; εἷς κοίρανος ἔστω.

Κοίρανον, Lycium, E 677; Creta, P 611. Quod ad significationem attinet, cf. *Leroi*, *Leprince*, etc., lat. *Principem*.

χρείων, regens, A 102 : Ἀτρείδης εὐρὺ κρείων Ἀγαμέμνων.

Κρειοντιάδην Λυκομήδεα, T 240, Lycomedem Creontis filium. Nomen illud in Iliade et in Odyssea tantum reperitur. Forsitan hypocoristicum sit pro Δαμοκρέων, Νικοκρέων, Τιμοκρέων positum.

μέδων, dux, B 79 : Ἀργείων ἡγήτορες ἠδὲ μέδοντες.

Μέδων, Oilei filius, B 727; Lycius, P 216.

Nominum copulatorum pars posterior est μέδων : Αὐτομέδων, Ἀλκιμέδων, Ἀμφιμέδων.

εὐρυμέδων, « qui late regnat », apud Pindarum, *Ol.* 8, 41.

Εὐρυμέδων, famulus Agamemnonis, Δ 228; Nestoris, Λ 620.

Πάλμυς, rex, apud Hipponactem, fr. 9.

Πάλμυν, ex Ascania, N 792. Nomen illud in Iliade tantummodo legitur.

ἀστυάναξ, rex urbis, apud Aeschylum, *Suppl.* 1019.

Ἀστυάναξ, Hectoris filius, Z 403.

δημοῦχος, qui populum regit, apud Sophoclem, *O. C.* 458, 1087, 1348. Cf. Diodorum, IV, 29,4.

Δημοῦχον Φιλητορίδην, Υ 457. Cf. germ. *Deotolt*, *Liutolt*.

ἄκτωρ, dux, apud Aeschylum, *Pers*. 557.

Ἄκτωρ, Orchomenius, B 513, Graecus, Λ 785, cf. Ἀκτορίων, N 185, Ἀκτορίωνε, B 621.

ἀστύοχος, qui urbem tuetur, in *Anthologia*, XVI, 36.

Ἀστυόχη, filia Actoris Orchomenii, B 513.

πρύτανις, praefectus, apud Pindarum, *Pyth*. 2, 106.

Πρύτανιν, Trojanum, E 678.

λαοδίκος, qui populum judicat, apud Diogenem Laertium λαόδικος a populo judicatus, 2, 42.

Λαοδίκη, filia Priami, Γ 124; Agamemnonis filia, I 145. Cf. gall. *Bailly*, *Lejuge*.

νάστης, deductor coloniae, in Etymologico Magno.

Νάστης, Carum dux, B 867.

Ad populum haec nomina pertinent :

πολίτης, civis, O 558.

Πολίτη, Priami filio, B 791 ; cf. lat. *Civem*, gall. *Bourgeois*, germ. *Bürger*.

φύλακος, custos, Ω 566.

Φύλακον, Trojanum, Z 35. Cf. lat. *Custodem*.

Forsitan ad nomina ejusmodi referenda sint :

θάμυρις · πανήγυρις, apud Hesychium.

Θάμυριν, Thracem, B 595.

λήιτος, publicus, Λήιτον · δημόσιον, apud Hesychium ; cf. Etymologicon magnum, 562, 53.

Λήιτος, B 494, dux Boeotiorum. Nomen illud nusquam alibi reperitur.

Alia quoque nomina imposita sunt ut commercium societatemque inter homines institutam referrent :

καλήτωρ, qui vocat, Ω 577 : κήρυκα καλήτορα.

Καλήτορα, Trojanum, Ο 419 ; Καλητορίδην 'Αφαρῆα, Graecum, Ν 541. Nomen illud in Iliade tantum legitur.

μήστωρ, consiliarius, Η 366 ; auctor, Δ 328, Ζ 97.

Μήστορα, Priami filium, Ω 257.

ἀμύντωρ, auxiliator, Ν 384.

'Αμύντορος, Graeci, Ι 448.

ἕκτωρ, qui tenet, apud Sappho, 149 ; ἕκτορες πάσσαλοι ἐν ῥυμῷ, apud Hesychium.

Ἕκτωρ, Priami filius.

ὀνάτωρ, qui prodest, beneficus, apud Pindarum, *Ol.* XI, 9.

'Ονήτωρ, Trojanus, Π 604. Cf. germ. *Nützer*.

μάστωρ, cf. μαστήρ, quaesitor, apud Sophoclem, *O. C.* 456.

Μάστορος, Graeci, Ο 430.

ἀκεσσάμενος, qui sanavit, cf. ἄκεσσαι, Π 523.

'Ακεσσαμενοῖο, Thracum regis, Φ 142. Nomen id quod nusquam alibi reperitur fortasse peregrinum est. Participia quidem non desunt in -μενος exeuntia quae nominum munus usurpaverunt ; exempli gratia Δεξαμένη, Σ 44 ; Κλυμένη, Γ 144 ; Κτιμένη, ο 363 ; Ὄρμενος, Θ 274 ; Κλύμενος, γ 452.

ἰαμένος, sanatus, cf. ἴαμαι, apud Hippocratem, 532, 42.

'Ιαμενόν, Trojanum, Μ 139, 193.

Nonnulla nomina indicare videntur homines pluris minorisve a popularibus suis aestimatos esse, aut ad altiorem humilioremve famae et laudis gradum pervenisse. Talia sunt :

ἶσος, par, Ε 438.

Ἶσον, Priami filium, Λ 101. Forsitan hypocoristicum sit pro Ἰσόδημος, Ἰσόλαος, Ἰσόλοχος positum.

ἴσανδρος, vocabulum ab Hesychio fortasse fictum, v° ἀντιάνειραι. Ἴσανδρον, Lycium, Z 197.

ἀμφότερος, uterque, ἀμφότερον, Γ 179.
Ἀμφοτερόν, Lycium, Π 415. Quod ad significationem attinet cf. Δίδυμον, nomen usitatissimum, lat. *Geminum*. Credibile est si originem repetas, ut apud Latinos *geminus* significat « e duobus unum », ita vocabulo Graeco ἀμφότερος eamdem significationem tributam esse, nam postverbio -τερος ostenditur electio inter personas duas. Conferantur apud Latinos *uter*, gall. *lequel des deux; uterque, l'un et l'autre*. Si res ita se habuit, ut *geminus*, ita ἀμφότερος ad partum referri debet, unumque inter duos eodem partu editos designat.

ὑπείροχος, eminens, praestans, Z 208.
Ὑπείροχον, Trojanum, Λ 335. Nomen illud in Iliade tantum reperitur. Cf. lat. *Eminentem*.

ὑψήνωρ, maxime virilis, apud Nonnum, 17, 171.
Ὑψήνορα, Trojanum, E 76; Ὑψήνορα Ἱππασίδην, Graecum, N 411. Nomen illud nusquam alibi legitur.

δῖος in Iliade fere ubique idem significat atque *illustris, nobilis*, exempli gratia E 663 : Σαρπηδόνα δῖοι ἑταῖροι / ἐξέφερον.
Δῖον ἀγαυόν, Priami filium, Ω 251. Cf. lat. *Divum*.

κλειτός, inclitus, Γ 451.
Κλεῖτον, Trojanum, O 445. Nomen illud in copulatis saepe invenitur : Κλειτοτίμη, Εὔκλειτος. Cf. lat. *Inclutum*, germ. *Filomar*.

κλυτός, inclitus, Υ 320 etc.
Κλυτίδην Δόλοπα, Graecum, Λ 302, Clyti filium Dolopem.

κλύμενος, clarus, apud Theocritum, XIV, 26.
Κλυμένη, ancilla Helenae, Γ 144. Cf. Περικλυμένη.

ἀγακλεής, illustrissimus, Φ 379 : Ἥφαιστε ἀγακλεές.
Ἀγακλῆος, Myrmidonis, Π 571.

βαθυκλεής, illustris, in *Anthologia*, IX, 575.
Βαθυκλῆα, Myrmidonem, Π 594.

ἐπικλεής, gloriosus, apud Apollonium Rhodium, IV, 1470.
Ἐπικλῆα, Lycium, Μ 379.

εὔφημος, bene ominatus, apud Aeschylum, *Suppl.* 694.
Εὔφημος, rex Ciconum, Β 846.

Apud Graecos autem militiae notio cum laudis notione artissimo quodam vinculo consociata est. Multa in Iliade nomina sunt quae e militia orta esse videantur.

Alia ad pugnam pertinent :
πρόμαχος, Ο 573, propugnans : ἐκ δ' ἔθορε προμάχων.
Πρόμαχον, Boeotium, Ξ 476.

ἀνδρόμαχος, qui cum viris pugnat, in *Anthologia*, VII, 241.
Ἀνδρομάχη, Hectoris uxor, Ζ 395 etc.

ἀντίμαχος, adversarius, apud Athenaeum, IV, 13, p. 154 f.
Ἀντιμάχοιο, Trojani, Λ 123.

ἱππόμαχος, qui ex equo pugnat, Κ 431 : Φρύγες ἱππόμαχοι.
Ἱππόμαχον, Trojanum, Μ 189.

μαχάων, pugnandi cupidus, apud Hesychium.
Μαχάων, Thessalus, Β 732. Quod ad significationem attinet, cf. gall. *Bataille, Bataillard.*

Alia autem ad caedem :
ἀντίφονος, qui caedem compensat, in choris tragicorum, apud Aeschylum, *Sept.* 893, *Eum.* 981.

'Αντίφονον, Priami filium, Ω 250. Nomen illud ibi tantum invenitur.

αὐτοφόνος, qui sua manu interficit, apud Aeschylum, *Sept.* 850, *Ag.* 1091.

Αὐτοφόνοιο, Thebani, Δ 395, quod nomen in Iliade tantum legitur.

Alia vero significationem minus circumscriptam habent.

ἀλέξανδρος, qui viros arcet, apud Diodorum, XI, 14, 4.

'Αλέξανδρος, Paris, Γ 136 etc. Cf. lat. *Defensorem*, germ. *Wehrmann*.

λαοδάμας, populorum domitor, apud Aeschylum, *Sept.* 343.

Λαοδάμαντα, Trojanum, Ο 516.

δεισήνωρ, qui viros terret, cf. δεισήνορα, quae virum veretur, *Ag.* 154.

Δεισήνορα, Trojanum, Ρ 217; nomen illud ibi tantum reperitur.

ἀντήνωρ, qui viri locum obtinet, apud Aeschylum, *Ag.*, 442.

'Αντήνωρ, Trojanus, Γ 148.

Ad illa nomina forsitan referendum sit Μέρμερος, nomen Mysi, Ξ 513. Vocabulum enim μέρμερος adjectivi more in Iliade plerumque cum vocabulo ἔργα conjunctum semper ad bellum pertinet : Θ 453 : πολέμοιο τε μέρμερα ἔργα. Significatio autem minime clara est.

Nomina orta e diversis artibus quae hominum industria suscipi potuere, aut ad rem nauticam cujus adminiculo Graeci mercatores uti solebant, aut ad rem rusticam sunt referenda.

Nomen quod ad rem nauticam pertinet hoc est :

εὔνεως, qui bonas naves habet, apud Maximum Tyrium, 5, 5.

Εὔνηος, rex Lemni, Η 468. Cf. *Nautam*, germ. *Schiffman*, *Schiffer*.

Nomina quae ad rem rusticam spectant, pleraque equorum educationem apud Graecos valde viguisse demonstrant; cf. Latinum cognomen *Equestrem*, germ. *Rosshirt.*

ἱππόδαμος, equorum domitor, B 23 : Ἀτρέος ἱπποδάμοιο.

Ἱππόδαμον, Trojanum, Λ 335.

ἱπποδάμεια ἀγόρα ab Hippodamo nominata, apud Xenophontem, *Hell.*, II, 4, 11.

Ἱπποδάμεια, uxor Pirithoi, B 742; filia Anchisae, N 429.

μελάνιππος, qui nigros equos habet, apud Aeschylum, fr. 66.

Μελάνιππον, Trojanum, O 547; Trojanum alium, Π 695; Achaeum, T 240; Trojanum alium, Θ 276.

εὔιππος, qui bonos equos habet, apud Pindarum, *Pyth.* 4, 2

Εὔιππον, Lycium, Π 417.

ἱππόθοος, equo velox, apud Hesychium.

Ἱππόθοος, dux Pelasgorum, B 840; Ἱππόθοον, Priami filium, Ω 251.

ἐχέπωλος, qui pullos equinos habet, apud Hesychium.

Ἐχέπωλος Ἀγχισιάδης, Ψ 296, Graecus; Ἐχέπωλον Θαλυσιάδην, Trojanum, Δ 458.

Nomina quae ad rem pecuariam pertinent haec sunt :

εὔμηλος, qui ovibus abundat, ο 406.

Εὔμηλος, B 714, Thessalus.

πολύμηλος, qui multas oves habet, B 705.

Πολύμηλον Ἀργεάδην, Lycium, Π 417; Πολυμήλη mater Eudori Myrmidonis. Cf. lat. *Ovilium*, *Oviculam*, germ. *Schäfer*, *Schafhirt.*

Nomen unum ad primitias frugum referendum est.

θαλύσια, primitiae.

ὅ οἱ οὔτι θαλύσια γουνῷ ἀλωῆς
Οἰνεὺς ῥέξ' I 534-535.

Θαλυσιάδην Ἐχέπωλον, Trojanum, Δ 458.

Nonnunquam persona aliqua designata est aut ornamento aut instrumento quodam quod secum gerere vel quo uti solet. Ejusmodi autem nomina confundi possunt cum vocabulis rerum quae collatione instituta e rebus ad personas transierunt (cf. p. 64).

θυέστης, pistillum mortarii, apud Dionysium tyrannum (Phot. *Bibl.* 532).

Θυέστης, Atrei frater, B 106. Cf. gall. *Pilon.*

ἑλένη, vas vimineum ; apud Hesychium autem, λαμπάς.

Ἑλένη, filia Ledae, Z 343.

τελαμών, balteus, E 796.

Τελαμῶνος, Salaminiorum regis, N 177. Cf. *Baudrillart.*

δόλων, sica in baculo occulta, apud Plutarchum, *Tib. Gr.* 10.

Δόλων, Trojanus, K 314. Cf. germ. *Dolch.*

De altero genere nominum.

Permulta sunt nomina quae eadem sint ac vocabula animalium aut gignentium.

Cum animalibus homines collatos esse constat ex nominibus velut

Λυκόφρονα, Graecum, O 430; cf. vocabulum λυκόφρων, qui lupini animi est, apud Plutarchum, *Moralia*, 988 d, germ. *Wolfrat.*

Αὐτόλυκος, Ulixis avus, K 267; cf. αὐτολυκον, lupum verum.

Λύκος, Lupus, usitatissimum nomen est; αὐτολύκιον autem helleborus est (cf. in Gallico sermone *gueule de loup*). Αὐτόλυκος aegre ad αὐτολύκιον referendum est. Cf. lat. *Lupum*, germ. *Wolf.*

Plerumque vocabulum animalis solum pro nomine positum est :

κάστωρ, fiber, apud Herodotum, IV, 109.

Κάστορα, filium Ledae, Γ 237; eodem nomine in Odyssea Cretensis homo designatur. Quod a significationem attinet, cf. germ. *Bieber, Bever.*

Haec nomina avium sunt :

ἀλεκτρυών, gallus.

'Αλεκτρυόνος, Graeci, Ρ 602; cf. lat. *Gallum,* gall. *Lecoq, Poussin,* germ. *Hahn.* Galli prima mentio apud Theognim poetam v. 864 invenitur. Homerum autem gallum non novisse dixit Hehnius, *Kulturpflanzen,* p. 263. Constat vero gallum ex Asia Minori in Europam allatum esse. Atqui in Europa galli ossa inventa sunt et in illa soli parte quam quaternariam geologici dicunt et in aliis recentioribus partibus[1]. Ergo res in ambiguo posita est.

μελέαγρος, apud Hesychium, μελεαγρίς apud Aristotelem, *H. A.* VI, 2, 2, significat gallinam variam.

Μελέαγρος, Aetolus, Β 642. Cf. lat. *Gallinam.*

ἀλκύων, halcedo, Ι 563.

'Αλκυόνην, Ι 562. Cf. graec. Χελιδών, Κύψελος, gall. *Arondel,* angl. *Swallow,* lat. *Hirundinem.*

δρύοψ, picus, apud Aristophanem, *Av.* 304.

Δρύοπα, Priami filium, Υ 455. Cf. gall. *Lepic,* germ. *Specht.*

μέροψ, merops, apud Aristotelem, *H. A.*, IX, 13, 1.

Μέροπος Περκωσίου, Trojani, Β 831.

φοῖνιξ, phoenix, apud Herodotum, II, 73.

Φοῖνιξ, Graecus, Achillis magister, Ι 427.

1. Cornevin, *Traité de zootechnie générale,* p. 69, 119. Cf. *Mémoires de la Société géologique de France, Paléontologie,* t. IV, p.139.

κορώνη, cornix, μ 418. In Odyssea ubique κορώνη cornicem maritimam designat.

Κορώνου Καινεΐδαο, Lapitharum regis, B 746. Cf. lat. *Corvum*, gall. *Corneille*, graec. Κόρακα, angl. *Crow*.

ἀσκάλαφος, noctua, apud Aristotelem, *H. A.*, II, 17, 17. Cf. germ. *Eule*.

Ἀσκάλαφος, Orchomeniorum dux, B 512.

ὦτος, ὠτός, bubo, apud Athenaeum, 390 f.

Ὦτος, Aloides, E 385; Ὦτον Κυλλήνιον, Epeum, O 518.

Haec nomina piscium (cf. germ. *Fisch*, gall. *Poisson*) :

χρόμιος, piscis quidam (tymallus), apud Athenaeum, 282 b.

Χρομίος, Mysorum dux, P 494; Χρομίον, Nelei filium, Δ 295; Lycium, E 677; Trojanum, Θ 275; Priami filium, E 160.

Χρόμις idem significat apud Aristotelem, *H. A.* IV, 8, 10. Cf. germ. *Asche*, nisi forte hoc nomen ad *esche*, fraxinum, referendum sit[1].

Forsitan Γλαῦκος, B 876, Z 154, ad illud nominum genus pertineat, nam γλαῦκος nomen piscis cujusdam apud Athenaeum est, p. 295 b. Idem de nomine Ἀφαρῆα, I 83, dicendum est quod idem est atque ἀφαρεύς, pinna inferior thynni, apud Aristotelem, *H. A.*, V, 9, 6.

Hoc nomen bestiolae est :

τενθρηδών, vespa, apud Aristotelem, *H. A.*, IX, 43, 2.

Τενθρηδόνος, Magnetum ducis, B 756. Cf. graec. Κώνωψ, Μύωψ, Τέττιξ; lat. *Vespam*, gall. *Abeille*, germ. *Biene*, *Mücke*. Hoc nomen probabiliter referendum est ad aliquem ingenio satiricum et derisorem qui propterea cum vespa confertur aculei sui telo semper armata.

1. Pott, *Die Personennamen*, p. 675.

Ea animalium nomina materiam suppeditant non indignam quae eruditorum acumen multifariam exerceat. Nulla enim temeritas erit si quis opinatus sit animalia quaedam vetustissima Graeciae aetate fortasse religiosa fuisse et pro patronis vel idolis habita, quorum nominibus ipsis occulta virtus quaedam inesset, ut inter Indos Americae vulgo creditur. At rursus ea nomina personis quibusdam imponi potuere quae recte vel sine causa creditae sunt aliis aliae animalibus natura similes.

Nihil in Iliade reperitur quo probetur Graecis notum fuisse id quod grammatici nostri vocaverunt *totemisme*. At si quis existimaverit eam *totemismi* consuetudinem antequam editum esset carmen Iliacum exstinctam fuisse, nonnullas ejus reliquias in emblematibus bellicis fortasse inveniet. Sic medio Agamemnonis clypeo inscriptum erat Gorgonis caput :

τῇ δ'ἐπὶ μὲν Γοργὼ βλοσυρῶπις ἐστεφάνωτο
δεινὸν δερκομένη. Λ 36-37.

tricipiti nigri cujusdam draconis effigie exornatum erat lorum :

τῆς δ'ἐξ ἀργύρεος τελαμὼν ἦν, αὐτὰρ ἐπ'αὐτοῦ
κυάνεος ἐλέλικτο δράκων, κεφαλαὶ δέ οἱ ἦσαν
τρεῖς ἀμφιστρεφέες, ἑνὸς αὐχένος ἐκπεφυυῖαι. Λ 38-40.

Sarpedonis (M 294), Hectoris (N 803), Ajacis (H 222) clypeis emblema nullum insculptum est et in clypeo Achillis, quamvis imaginibus permultis ornato vel etiam onerato, nulla animalis effigies emblematis more efficta videtur. Sola igitur Gorgonis, fabulosi scilicet animalis, vel draconis ad fabulas pariter referendi effigies qua Agamemnonis clypeus clypeique ejusdem lorum exornata erant pro emblematibus haberi possunt quae eam *totemismi* consuetudinem fortasse commemorent. At belluae neutrius nomen in Iliade personis nominandis adhibitum est.

Quod autem attinet ad animalia quorum nomina pro personarum nominibus sunt usurpata, ea quaestione omissa qua de *totemismo* disputatur dubitandi locus erit utrum vera an qualis fabulosa antiquitate ficta est animalium indoles hominum cogitationi adfuerit, cum collatione instituta personis quibusdam imposita sunt eorum nomina.

Animalia pleraque quorum nomina personis designandis adhibita sunt nusquam in Iliade reperiuntur. Notentur tamen Ἀλκυόνη, quo generis muliebris vocabulo dicitur Ἀλκύων, latine hirundo, et κορώνη, cornix marina. Ἀλκύων, I 563, tristitiam commemorare videtur quia voces acutas edit :

ἀλκυόνος πολυπενθέος οἶτον ἔχουσα.

Cornix autem marina in Odysseam inducitur tunc quod orbes volando describat :

οἱ δὲ κορώνῃσιν ἴκελοι περὶ νῆα μέλαιναν
κύμασιν ἐμφορέοντο μ 418-419.

tunc linguae suae causa

τανύγλωσσοί τε κορῶναι
εἰνάλιαι. ε 66-67.

Si quis eis animalibus attenderit quae Homericis collationibus assumpta fuere, veram, non fictam eorum animalium indolem poetico ingenio adfuisse animadvertet. Exempli gratia, Γ 197, Ulixes cum hirco confertur propter habitum corporis; Diomedes, E 161-162, cum leone, quod in filios Priami irruit. Inde non temere concludendum videri potest eis animalium nominibus quae personis imponerentur in Iliade veram animalium indolem commemoratam esse. Praeterea, cum usitata essent nomina qualia Δημολέων, Αὐτόλυκος, Ἀρηΐλυκος, probabiliter credatur per figuram adhibita esse leonis et lupi nomina quae fortitudinem aut feritatem commemorarent, non autem

emblematum more electa esse ut eis qui ita nominarentur patrocinium quoddam suppeditarent isti vel genii praesides vel, ut dicunt, *totemi*.

Nonnullis denique animalium vocabulis per ellipsim designari potuerunt personae non quae animalis ejus cujus nomen acciperent quamdam vel corpore vel animo similitudinem vere referrent, sed quae ejusmodi mercaturam aut artem exercerent ut inter eas et animalia quaedam societatis vinculum quoddam cogitatio instituere soleret. Sic aliquis levitatis et velocitatis causa cum ave quadam conferri potuit, alius vel mutus vel natandi peritus cum pisce, at non minus probabile est utramque designationem assumptam fuisse quia alius pisces caperet aut venderet, alius aves[1].

Ad gignentia referenda sunt :

ἀλθαία, malva silvestris, apud Theophrastum, *H. Pl.*, IX, 15, 5.

Ἀλθαίῃ, matri Meleagri, I 555.

μελάνθιον, git, apud Hippocratem, 619, 48.

Μελάνθιον, Trojanum, Z 36. Id nomen Apollinis cognomen est, *Journ. Hell. St.* IX, 261. Cf gall. *Chardon*.

Forsitan Ὄρμενος huc pertineat, Ὄρμενος enim Θ 274, M 187, idem esse videtur atque ὅρμενος « caulis ».

Arborum nomina sunt :

δανάη, laurus Alexandrina, apud Dioscoridem, 4, 147.

Δανάης, Persei matris, Ξ 319. Nomen illud Deeckius cum Lycio *ddänävälä* confert (*B. B.*, t. XII, p. 140). Quod ad significationem attinet, cf. *Laurier*, lat. *Laurum*.

Φοῖνιξ, cujus nominis alias jam interpretationes proposuimus, idem esse potest atque φοῖνιξ, palma.

1. Pott, *Die Personennamen*, p. 675.

Nonnulla vocabula rerum ad homines designandos cognominis more translata sunt. Quodam deridendi consilio personis quibusdam imponi potuere ea rerum nomina quia corporis sui similitudine vel levissima, res alii alias commemorarent. Id quoque fieri potuit operarium scilicet ex opera sua nominatum esse.

χαλκώδων, qui dentes aeneos habet, apud Hesychium, χαλκώδοντας στόλους. ὀδόντας δὲ ἔλεγον τὰ ἔμβολα.

Χαλκωδοντιάδης Ἐλεφήνωρ, Abantum dux, B 541.

Fortasse etiam φάλκης, pars carinae, apud Pollucem, I, 85. Apud Hesychium autem φάλκη · νυκτερίς vespertilio est.

Φάλκην, Trojanum, Ξ 513.

Incertum est an ad illa pertineant Θυέστης, Ἑλένη quae jam relata sunt.

Nihil quod aut Iliadi aut linguae Graecae sit peculiare ea enumeratione deprehensum est. Ex generibus notionum omnino iisdem, cum in Graeco sermone tum in ceteris linguis Indoeuropaeis, assumpta sunt nomina personarum quae eadem sunt ac vocabula communia. Si nobis in animo fuisset diligentiorem illi inquisitioni operam impendere, plurima cum linguis aliis comparationis exempla proponere non aegre potuissemus; at labor ita susceptus nihil novi eruisset neque, quod attinet ad rationem nomina imponendi, ulla in lucem adducta esset alicujus momenti differentia inter carmen Iliacum et ceteras linguas Indoeuropaeorum.

CAPUT QUARTUM

De accentu nominum.

In permultis personarum nominibus quae non ideo tantum adhibentur ut designentur personae, e syllaba in syllabam alteram quasi traducitur accentus ut distinguatur utrum persona denominetur an vocabulum idem commune habendum sit. Operae pretium est inquirere quaenam fuerit in iis nominibus accentum imponendi ratio quae ad restituendam rationem vetustissimam nonnullius momenti esse videtur.

Sed frustra quaerantur documenta e quibus vere cognosci possit quaenam fuerit ea aetate qua compositum est carmen Iliacum accentum imponendi ratio. Quidquid enim de positione accentus in Iliade scripserunt grammatici minime certum est, cum Ilias longe ante composita sit quam scripta, et apices tantum ab Aristophane Byzantio, secundo ante Christum natum saeculo, inventi sint. E principiis quae aut inter Atticos aut inter Alexandrinos viguerunt carmini Iliaco quod nunc scriptum habemus impositus est accentus, sive Alexandrini diligenter notaverint quonam modo verba aetate sua pronuntiarentur, sive Atticorum pronuntiationem restituere conati sint. Commentario pretii haud parvi aestimando, qui inscribitur *Die Bedeutung*

des Accentes bei Homer[1] lectorem recte admonuit Kuhlius quam multa illi rationi vitia inessent.

Homericum enim articulum cum tanquam procliticum quoddam habere consueverint, in interpretationem pravam permulti non semel delapsi sunt, neque intellexerunt articulo illi tribuendam esse vim demonstrativam quam tamen habere solet. Praecipue notandus est ille locus in Iliade, K 224 :

σύν τε δύ' ἐρχομένω καί τε πρὸ ὁ τοῦ ἐνόησεν

" duobus una progredientibus, alter altero prius animadvertit ", ubi pro ὁ τοῦ legi debet ὅ τοῦ.

In eodem libro, versu 462°, accentum imponendi ratio cum scribitur ut solet, τοίσδεσσι, cum ea ratione non congruit e qua scribitur οὗτινος, ὧντινων : scribi debuit τοῖσδεσσι.

Ubi vocabulum ὡς eorum adverbiorum more assumptum est quae modum significant, manifestum est accentum ita poni debere ut legatur ὧς, cum pariter scribatur πῶς, καλῶς. Tunc tantum suam habet significationem accentus ita positus cum per anastrophen dicitur, exempli gratia θεὸς ὥς.

Apparet Atticis peculiarem esse accentum ponendi rationem in imperativis εἰπέ, ἐλθέ, εὑρέ, ἰδέ, λαβέ, neque ulla causa impedit quin in Iliade scribatur εἶπε, ἔλθε, εὗρε, ἴδε, λάβε.

Litteratores nostri ubi φημὶ scribitur, B 350 :

φημὶ γὰρ οὖν κατανεῦσαι ὑπερμενέα Κρονίωνα

recte interpretantur *affirmo, assero,* iidemque tamen haud aliter accentum ponunt ac si verbum procliticum esset. Manifestum est vere legi et pronuntiari debere φῆμι.

Quae in accentu ponendo constantia fingi potest cum scribitur εἶς (εἶ) " es ", et rursus φῄς " dicis "?

1. *Jahresbericht über das Städtische Progymnasium zu Jülich,* **1883.**

In accentu praepositionum praesertim plurima apparent inconstantiae exempla. Scribitur, exempli gratia, Σ 191 :

> στεῦτο γὰρ Ἡφαίστοιο πάρ οἰσέμεν ἔντεα καλά

et A 350 :

> θῖν' ἐφ' ἁλὸς πολιῆς, ὁρόων ἐπ' ἀπείρονα πόντον.

Quaenam causa est cur apex non ponatur B 39 :

> θήσειν γὰρ ἔτ' ἔμελλεν ἐπ' ἄλγεά τε στοναχάς τε

et N 799 :

> κύματα παφλάζοντα πολυφλοίσβοιο θαλάσσης
> κυρτὰ φαληριόωντα, πρὸ μέν τ' ἄλλ' αὐτὰρ ἐπ' ἄλλα

ubi ἐπί adverbium est?

Concludit Kuhlius ea accentum imponendi ratione quae citra veritatem instituta et rectam pronuntiationem et significationem offendat, potiorem habendam esse vel disciplinam quae Iliadem et Odysseam sine apice scribi velit.

Qualemcumque dialectum ab eo sumptam esse volueris qui carmen Iliacum primus scripserit, id saltem certum est Iliada Attica dialecto primum non scriptam fuisse. Si autem Iliadi scribendae primum adhibitam esse credendum est dialectum Aeolicam in qua praevaluit consuetudo accentum quam longissime a fine vocabulorum removendi, tum difficile est aliquid fingere quod veritati minus accomodatum sit quam ea ratio accentum in Iliade ponendi quae usu vetustissimo consecrata est. Quidquid est, cum ad accentum qualis in Iliade esset operam daremus, nihil invenimus quod non attineret ad eam accentus ponendi rationem quae in omnibus Graecorum scriptis viget.

Apud Graecos accentus retroactus ceteris longe frequentior est, in conjugationibus verborum praesertim. Attamen in conjugatione et in declinatione nonnullis exemplis apparet accen-

tus quidam qui e prosodia syllabae ultimae non pendet. Ille autem accentus, exempli gratia proponantur ποδός, ποδῶν, ποδί, ποσσί, eodem in loco situs est quo linguae Sanscriticae accentus *padás, padā̀m, padí, patsú*, (cf. πατέρες, scr. *pitáras*, δρακόντες, scr. *dr̥çántas*), accentu igitur retroacto vetustior, aetate Indoeuropaea ortus esse videtur; recentius contra inductus est accentus ille retroactus Graecae et Latinae linguae communis. Itaque quivis accentus illa trium syllabarum lege non regitur, ob id ipsum quod alia lege regitur antiquitati non temere tribuetur.

Quaenam fuerit in lingua Graeca accentus retroacti origo non diu inquiremus. Conjecit Wheelerius eum esse minoris momenti accentum quemdam qui vetustioris accentus alterius locum usurpaverit. Ambiguum vere judicamus an ea conjectura comprobari possit. Ipse enim Wheelerius ad eam necessitatem adductus est ut doceret in vocabulis plurimis syllabae eidem tribuendos esse et eum minoris momenti accentum et praecipuum simul accentum, exempli gratia ἵππος, scr. *áçvas*; θύγατερ, scr. *dúhitar*; ἥδιον, scr. *svā̀dīyas*. Praeterea intellegi potest minoris momenti accentum quemdam fuisse natura talem ut, cum accentu praecipuo consociatus, illum haberet locum qui ex loco accentus praecipui penderet; rursus aegre intellegitur minoris momenti accentum quemdam fuisse ab accentu praecipuo natura et origine adeo discrepantem ut inter utrumque societas nulla fuisset. Attamen in lingua Latina ille quo syllaba prima notatur minoris momenti accentus natura et origine ab accentu praecipuo omnino discrepat et vocis emissae vehementiam, non modulationem significat. Credendum igitur foret in lingua Graeca, si rem ab origine repetas, accentum retroactum et eum qui non sit retroactus natura utrumque ab altero omnino discrepare. Rem autem ita se habuisse cum nullo argumento comprobari possit, de origine accentus retroacti pauca certa sunt.

Accentum retroactum origine esse Graecum verisimile est : probabile enim argumentum suppeditant formae verbales quae

in lingua Indoeuropaea tum tantummodo accentum habebant cum in sententia ab alia pendenti essent, (quod non ita eveniebat ut hujus modi exempla numero infinita apparerent) quibusque accentus retroactus imponi solebat cum plerumque encliticae essent. Immo formae quaedam vetustissimae, quales ἴδμεν, scr. *vidmá,* suum in ultima syllaba positum accentum amisere. Manifestum est accentum retroactum in formis verbalibus non eam invenisse condicionem ut cum accentu vetustiori dimicare debuerit, sed potius locum vacuum occupavisse. Formis vero nominalibus condicio omnino diversa obtigit.

In eis enim formis ubi accentus vetustior, ut metaphysicorum verbis utamur, absolutus vel necessarius, non relativus aut contingens erat, natura talis erat ut eo magis asservaretur quod mutato loco ejus nonnunquam mutabatur simul vocabulorum significatio. Ita vocabula in -ος desinentia aut actores agentesve designant, aut sunt nomina abstracta, ut postverbio aut basi impositus est accentus; exempli gratia φορός est « qui portat », φόρος autem « tributum[1] ». Inter postverbia, alia tonum habebant, alia autem tono carebant. Novus accentus cum institutus est jamdiu vigentem perfectamque invenit accentus imponendi rationem ita ut locum sic occupatum invadere non potuisset nisi lingua penitus mutata. Itaque, si eum accentus motum exceperis qui in declinationibus e prosodia ultimae syllabae pendet, fortasse potestatis suae fines non tam longe vel late distulit quam primo aspectu existimari potest. Saepe enim eveniebat ut locum eumdem haberent accentus vetustior et accentus retroactus; proferantur exempli gratia δώδεκα, scr. *dvā̀daça,* ἄγγελος, scr. *áñgiras,* πότνια, scr. *pátnī*[2]. Vocabula permulta, alia monosyllaba, alia disyllaba quorum posterior syllaba brevis est, accentum retroactum neque suscipere possunt, neque nisi par analogiam susceperunt : ἴμεν, cf. ἴσασι, βῆ,

1. Ita ψευδής mendax, ψεῦδος mendacium.
2. Wheeler, *Der Griechische Nominalaccent,* p. 56-60.

cf. βάτην; ἧμιν, cf. ἥμων et ἥμιν; ἄλγεά τινων cf. ἄλγεά τινος. Illis igitur tantummodo in vocabulis praevaluit accentus retroactus ubi vetustior accentus ita positus erat ut ab ultima syllaba majori spatio distaret quam accentus recentior : γενέτειρα, scr. *jánitrī*; φερόμενος, scr. *bhāramāna-*; ἀποτίσεις, scr. *ápacitayas*. In dactylicis quoque vocabulis quae ὀξύτονα erant, saepe ad paenultimam syllabam removetur accentus; proponantur exempli gratia adjectiva aliquot in -ρος, -λος desinentia; ἀγκύλος, scr. *añkurá-*, ποικίλος, scr. *pēçalá-*, praeteriti temporis participia, scr. *maná-*, gr. -μένος. Vetustioris igitur accentus in declinatione Graeca reliquiae permultae et manifestae supersunt.

In nominibus propriis satis multa reperiri possunt vetustioris accentus vestigia, si id susceptum est consilium ut alia ab aliis accentu distinguerentur nomina propria et vocabula communia quae eadem essent, cum in nominibus propriis asservata esset accentum imponendi ratio vetustior et rursus communibus vocabulis adhibita esset ratio recentior cujus consuetudo in lingua jam praevaluerat. Ob eam causam fortasse non nullius utilitatis erit inquirere quanam ratione nominibus propriis accentum grammatici tribuerint. Attamen temeritas quaedam foret si quis existimaret ejus incepti eventum talem futurum esse ut vere compertum haberet quonam modo accentus nominibus propriis impositus esset : documenta enim occurrunt inter se pugnantia. Fieri etiam potuit ut grammatici, dum contenderent nomen proprium a vocabulo communi apice distinguere, ad scripturam potius quam ad pronuntiationem animum intenderint.

Cum enim in Graeca lingua artissima cognatione inter se juncta sint nomina propria et vocabula communia, parum credibile est accentum vetustiorem in vocabulis communibus derelictum ut in locum ejus succederet accentus retroactus, propriis contra nominibus asservatum esse. Nam ea ratio, ut consuetudine aetatis nostrae non abhorret (quae summopere conari solet ut a vocabulis communibus propria nomina sint

quam maxime distincta), ita Graecorum consuetudine alienissima est. Magis etiam incredibile est institutam esse rationem oppositam qua dum accentum retroactum assumpsissent nomina propria, vetustiorem rursus accentum retinuissent communia vocabula. Nam non verisimile est vocabula communia quae sint multo magis usitata, mutationique et varietati obnoxia, ex ea lege in Graeca quidem lingua dominante excepta esse, e qua rursus non excepta fuissent nomina propria quae eadem essent ac vocabula communia.

Propria tamen nomina, quatenus ad accentum attinet, condicionem habent peculiarem : ita in lingua Sanscritica, si casus est vocativus, accentus a fine vocabuli quam maxime removetur, idemque fit in lingua Graeca (proponantur exempli gratia ἄδελφε, δέσποτα), quantum saltem accentus retroagendi consuetudine permittitur. Cum autem nomina propria casu vocativo sint usitatissima, etiam antequam inquisitio ulla sit instituta, statim intellegitur fieri potuisse ut accentus vocativi in accentu nominativo casui imponendo aliquid effecerit. Sic nomina quaedam propria quae eadem sunt ac communia vocabula accentum acutum in ultima syllaba habentia, accentum suum quatenus licuit retro egere.

Graecum autem illum accentum eumdem esse ac vetustum linguae Indoeuropaeae accentum non omnino certum est. Nam ea aetate qua in lingua Graeca primum exortus est accentus retroactus, tum casus vocandi eamdem habebat condicionem quam illae formae verbales quibus impositus est accentus retroactus. In lingua Sanscritica, tum tantummodo prima a qua vocabulum incipit vocativi casus syllaba accentu notatur cum ab eo ipso vocabulo fit sententiae initium. Ubi vero alium quemvis locum cepit, vocandi casus encliticus est. Enclitico vocandi casui, si verum est formas encliticas potius quam eas quae accentu notarentur in linguam Graecam transiisse, eumdem illum retroactum accentum Graeci imposuere quo notatae sunt quoque formae verbales. Sed ambiguum est an vere res ita se

habuerit, quia accentus vetusti qui a fine vocabulorum longius quam syllabis tribus quondam distabant, ita mutati sunt ut accentu notaretur syllaba a fine vocabulorum tertia : Διόγενες, Ἀριστότελες, Ἀγάμεμνον. Omnino incertum est utrum Ἀγάμεμνον pro *Ἄγαμεμνον positus sit, velut ἡδίων pro *ἥδιων, scr. *svādīyān*, an rursus pro *Ἀγαμεμνόν.

Tali in re, apud Graecos ne sequitur quidem aut antecedit quae fit apud nos alicujus momenti distinctio, quo magis conspicuus vocandi casus sit[1]. Rem ita se habuisse non aegre probatur. Neque in Iliade neque in Odyssea distinctio ulla est duobus pedibus ultimis intus suscepta. Vocandi igitur casus cum vocabulis antecedentibus continuo junctum esse his multisque ejusdem modi exemplis confirmatur.

Λ 86 : Οὐ μὰ γὰρ Ἀπόλλωνα Διὶ φίλον, ᾧτε σὺ Κάλχαν
εὐχόμενος Δαναοῖσι θεοπροπίας ἀναφαίνεις.
Α 159 : τιμὴν ἀρνύμενοι Μενελάῳ σοί τε κυνῶπα
α 62 : Τροίῃ ἐν εὐρείῃ; τί νύ οἱ τόσον ὠδύσαο Ζεῦ.

Verisimile est vocativum cum sententiae ineunti non praeponeretur ut in Sanscritica lingua, sic apud Graecos diutissime encliticum fuisse. Id saltem certum est in duobus versibus quos primos rettulimus pronomini quod encliticum esse immerito existimaveris impositum esse accentum. Satis magna quidem exemplorum copia est quibus, velut eis quae rettulimus, persona pronomine designatur, adjuncto, epitheti more, nomine proprio.

Ο 46 : τῇ ἴμεν ᾗ κεν δὴ σὺ Κελαινεφὲς ἡγεμονεύῃς
Ο 201 : οὕτω γὰρ δή τοι Γαιήοχε κυανοχαῖτα
Κ 477 : Οὗτός τοι Διόμηδες ἀνήρ, οὗτοι δέ τοι ἵπποι
Τ 315 : Ἦ ῥά νύ μοί ποτε καὶ σὺ δυσάμμορε, φίλταθ' ἑταίρων.

1. Havet, *Cours élémentaire de métrique grecque et latine*[3], p. 15.

Vocandi casus encliticus, cum accentu notatus est, aut nominativi accentum, aut eum qui vocativo non enclitico proprius est, pariter sumere potuit. Saepissime autem cum nominativus accentum haberet quam longissime retroactum accentus nominativo proprius cum accentu vocativi non enclitici confundebatur. Ubi nominativus oxytonus erat, vocativi non enclitici accentus nominativi accentui haud ambigue opponebatur. Cum res ita se haberet, nihil prohibebat quominus nominativi exemplum secutus vocativus encliticus accentum in syllaba ultima sumeret. At dubitari potest an non temere existimari possit vocativi non enclitici virtute e loco suo motum esse nominativi accentum.

In verbo eodem eadem aetate e syllaba alia in aliam syllabam aegre peregrinatur accentus. Formae quidem quae tonum habent imitationem suam imponere possunt formis quae tonum non habent ; sed nunquam fere visa est forma quae tonum haberet formae alterius quae tonum pariter haberet imitationem subiisse.

Praeterea si inter se, quod ad sermonis consuetudinem pertinet, vocativus nominativusque conferuntur, num satis frequens est usus prioris casus ut accentum suum posteriori imposuisse voluerit ? Supervacaneum foret memorare a me de his tantummodo designationibus disputari quae vel communia vocabula vel propria nomina ad personas referantur ; nominum enim quibus res designantur vocativus ferme est inusitatus. A viro doctissimo Ludovico Havet sum admonitus in Gallico sermone nostro reperiri vocabula *sœur*, *sire*, *pâtre*, *fils*, quae cum ad nos pervenerint suscepta ejus casus forma qua subjectus exprimitur, non autem ea quae casui completivo propria est, probabiliter dicantur eum casum vocativum imitata esse qui et subjecti partes agit. Attamen animadvertendum est inter ea permulta quidem nomina quae in-*tor*, -*torem* actores designarent et vetustissima linguae nostrae aetate Gallicam formam haberent duplicem, praeter vocabulum *pâtre* nullum reperiri

quod casus recti formam sumpserit. Cetera enim ut *baron*, *comte*, *homme* ad nos migravere suscepta casus obliqui forma. Adde quod in dialectis Gallicis forma *pastre*, *pâtre* ignota est.

Fatendum igitur vocabulis paucissimis vocativi formam superesse. Apud Graecos nonnullae personarum designationes aetate vetustissima oxytonae, accentum retroactum in casu vocandi retinuerunt : γύναι (γυνή), ἄνερ, (ἀνήρ), πάτερ (πατήρ), Ζεῦ (Ζεύς), ἄδελφε (ἀδελφός), δαήρ (δᾶερ). Sed inter ea nomina nullum est in quo vocativi accentus ad nominativum transierit. Num credendum est vocabula μήτηρ, scr. *mātā́*, (voc. μῆτερ, *mā́tar*), θυγάτηρ, scr. *duhitā́* (θύγατερ, *dúhitar*) potius quam pleraque vocabula Graeca accentum retroactum in casu nominandi sumpsisse, quod vocativus accentum retroactum haberet? Ut supra diximus, forma enclitica accentum alius casus accipere potest, forma tonica aegre potest.

Nominibus vere propriis potius quam eis vocabulis inter quae πατήρ exempli gratia proponi potest susceptam esse accentus vocativo impositi imitationem minime probabiliter coiceretur. Vocabulum enim *pater*, ubi familiae unius quasi finibus circumscriptum est, ibidem nominis vere proprii partes agit, patremque suum patrem quasi nomine proprio appellare solent liberi.

Immo in eis nominibus quae vocabulis omnino consimilia ad loca designanda adhibita sunt, accentus quam longissime retro agitur, etsi vocativus ferme est inusitatus, e. g. Θέρμος urbs Siciliae, quae nomen certe ducit a vocabulo θερμός. Multa exempla in pagina 77ª protulimus.

Quivis animo vere libero inquisitionem eam aggressus erit vocativi imitationi nullo modo tribuendum esse accentum in propriis quibusdam nominibus retroactum haud dubius asseret. Manifestum est sermone id quantum fieri posset effectum esse ut accentu imposito institueretur quaedam nominis proprii cum ad loca, tum ad personas designandas adhibiti, et

communis vocabuli differentia. Hanc autem differentiam, quod attinet ad Iliadem, cum adessent condiciones quaedam peculiares, fortasse non ex ipsa linguae natura effloruisse, sed potius grammaticorum arte et doctrina passim effictam esse non temere credatur. Sed inquisitio diligentior erit, vocabulis eis quae propositi operis finibus sunt circumscripta singulariis vicissim dijudicatis.

De nominibus nunc agamus quae in Iliade accentu a vocabulis consimilibus differunt. Nominum illorum duo genera sunt :

1° Oxytonum est vocabulum commune, proprio autem nomini accentus retroactus imponitur.

2° Oxytonum est nomen proprium rursusque vocabulum commune accentum habet retroactum.

Priori nominum generi nunc operam demus. Nomina quae accentum retroactum habent haec sunt :

α) nomina in -ης desinentia :

Ἀγασθένεος, Β 624, ἀγασθενής.

Πολυδεύκεα, Γ 237, πολυδευκής.

Βαθυκλῆα = *Βαθυκλέηα, Π 594, βαθυκλεής.

Ἐπικλῆα = * Ἐπικλέηα, Μ 379, ἐπικλεής.

Ἀγακλῆος = * Ἀγακλέηος, Π 571, ἀγακλεής.

Πολυνείκεϊ, Δ 377, πολυνεικής.

Inter nomina in -ης et adjectiva in -ής eadem interesse differentia videtur quae est inter vocabula in -ης, -ος, τριήρης, τέλος, scr. *táras,* et adjectiva in -ης : ψευδής, cf. ψεῦδος, ἀκρατής cf. κράτος. Eodem modo ubi -μενής adjectivum est in ultima syllaba acuitur : δυσμενής, ubi nomen est accentum retroactum habet : Δεινομένης.

β) nomina in -ος exeuntia :

Γλαῦκος, Β 876 : Γλαῦκε, Π 492 ; γλαυκός.

Λεῦκον, Δ 491 ; λευκός.

Ὑρτάκου, Ν 759 ; Ὑρτακός.

Ξάνθον, Ε 152 ; ξανθός.

Ἔλατον, Z 33 ; ἐλατός.
Κλεῖτον, O 445 ; κλειτός.
Φαῖστον, E 43 ; Φαιστός.
Ὦτον, O 518 ; ὠτός.
Τεῦκρος, Z 31 ; Τεῦκρε, Θ 281 ; Τευκρός.
Χαρόποιο, B 672 ; χαροπός.
Ἄρητος, P 494, ἀρητός.

Eodem modo adjectiva γλαυκός, λευκός, ἐλατός, ubi vocabula fiunt, accentum retroactum habent : λεύκη populus alba ; γλαῦκος piscis quidam (quod ad significationem attinet, cf. gall. *rouget*), ἐλάτη, abies.

γ) nomen in -ις exiens :
Φρόντιδι, P 40, φροντίς.

Nomina abstracta quae in -τις exeunt accentum tunc in postverbio, tunc in basi positum habent : φροντίς, πίστις, nam ex eadem origine orta esse videntur et vocabula in -ις, -ιδος et vocabula in -ις, ιος. Tunc -ιδος, tunc -ιος in patrico casu idem vocabulum in una dialecto praebet ; exempli gratia : ἔριδα ζ 92 ; ἔριν, γ 136 ; ὄπιδος, ξ 88 ; ὄπιδα, υ 215 ; ὄπιν, φ 28 ; Πάριος, Πάριδος, Θέτιος, Θέτιδος. In Odyssea nomen invenitur in casu accusandi Φρόντιν, γ 282 quod idem esse videtur ac Φρόντιδι.

δ) nomina in -ων exeuntia :
Μύδωνα, E 580, Φ 209 ; μυδών.
Πελάγων, E 695 ; Πελαγόνες.
Πύλωνα, M 187 ; πυλών.

Eorum nominum non secus quam illorum quae supra rettulimus accentum ab accentu vocativi ortum esse equidem non existimo. Nam urbium nomina quae eadem sunt ac vocabula oxytona accentum quam longissime retroagunt, neque ratione dici potest illa nomina accentum vocativi referre, cum minime in casu vocandi sint usitata. Talia autem sunt :
Αἶπυ, urbs Messeniae ; αἰπύ, arduum.
Φυλάκη, urbs Thessaliae ; φυλακή, custodia.

Θέρμος, urbs Siciliae; θερμός, calidus.
Νόμαι, urbs Siciliae; νομή, pascuum.
Κολώνη, locus Messeniae; κολωνός, collis.
Ὄρθη, urbs Thessaliae; ὀρθή, recta.
Σπάρτη, urbs Laconiae; σπαρτή, seminata[1].

Pleraque illa nomina a nominibus hominum sane non sunt declinata. Adde quod nonnulla enumeravimus vocabula in -ος exeuntia quae accentu ab adjectivis differunt. Etiamsi grammaticis non tribuenda sit differentia illa inter nomina et vocabula per accentum instituta, certe accentus vocativi nihil ad rem interest.

Quod ad alterum nominum genus attinet quae oxytona sunt, fieri potuit ut nonnusquam accentus vetustior in nomine nescio quo pacto servatus esset, sive differentia ad eam aetatem revocanda esset qua vocabulum et nomen pariter essent oxytona, sive grammatici, vetusti accentus memoriam revocavissent ut nomen a vocabulo distingueretur.

Talia quae in Iliade reperiuntur nomina sunt :

α) participium quoddam in -μενος desinens : Ἀκεσσαμενοῖο, Φ 142; ἀκεσσάμενος, cf. Σωζομενός, Ὀρχομενός, Στησαμενός, Τισαμενός, Φαμενός. Haud dubie ea participia similia sunt participiis desinentibus in *-mānā́-* quae habent verba Sanscritica, e. g. [illegible]-*mā*[illegible]*á*. Existimaverim rem ita se habuisse quia dum in forma verbali accentus verbi inflexi accentum imitatus esset, pristinum contra accentum retinuisset forma quae nominis proprii partes ageret. Pristinum quoque accentum retinuerunt perpauca vocabula : δεξαμενή « puteus », ἰαμενή « vallis, pascuum ». Sed apud Graecos in eis vocabulis quorum exitus erat dactylicus, accentus plerumque ex ultima syllaba ad paenultimam transiit. Ea autem consuetudo eo principio condita videtur ut syllabam

1. Henry, *Grammaire comparée du grec et du latin*[5], p. 138, in nota.

quae tonum habet antecedat longa syllaba. Sic in αἰγοβοσκός λαγωός, syllaba ultima accentum retinet, qui rursus in πατροκτόνος transiit ad paenultimam. In participiis praeteriti temporis quae desinunt in -μενος accentus transiit in με : ἰαμένος ; nomen autem proprium oxytonum est : Ἰαμενόν, M 139.

β) ἀμφότερος, ubi adjectivum est, accentum retroagit ; ubi nomen proprium, oxytonum est. In lingua Sanscritica oxytonum est postverbium *-tará* in *katará-*, πότερος, et *yatará*.

γ) Θέσσαλος, nomen populi ; Θεσσαλός, nomen viri, B 670.

δ) ἄτρευς, vocabulum adjectivum ; Ἀτρεύς autem nomen oxytonum est velut omnia vocabula quae in -ευς exeunt.

Inter nomina propria quae eadem sunt ac vocabula communia, tres accentum habent in paenultima positum : Ὀδίος, B 856, I 170 ; Σχεδίος, B 517 ; Σχεδίον, P 306, O 515, Χρομίος, Δ 295, E 160, Θ 275, E 677, P 218, 494, 534, dum in vocabulis communibus accentus retroagitur : ὅδιος, σχέδιος, χρόμιος. Eam accentus imponendi rationem aegre probabilem esse censemus quia vocabula de quibus agitur exitum dactylicum non habent[1]. Praeterea dum in nominibus quae desinunt in -ιος accentus retroactus est, adjectiva accentum retinent positum in paenultima : ἀντίος « contrarius », Ἄντιος. Grammaticus aliquis, cum nomen ab adjectivo distingui vellet, falsam instituit analogiam inter nomina quae in tres breves syllabas desinunt et ea quae exitum habent dactylicum, unde fortasse orta sint : Σχεδίος, Ὀδίος, Χρομίος.

Nomina igitur propria tum accentum vetustiorem, tum retroactum accentum praebent. Constat autem differentiam institutam esse inter nomina propria et vocabula quae eis consimilia essent, sive grammaticorum arte, sive proprio linguae ipsius conatu.

1. Nonnulla tamen per analogiam complexa esse videntur ; sic quo more constitutus erat accentus vocabuli ἐρρωμένος, eodem modo institutus est accentus vocabuli λελυμένος, utque erat τελεσφόρος, fuit δημοβόρος.

CAPUT QUINTUM

De usu nominum.

Nunc expendendum quonam modo usitata sint nomina de quibus in capitibus praecedentibus inquisivimus. A nominibus virorum distinguenda sunt mulierum nomina, cum ea plerumque nihil aliud sint nisi figura muliebris virilibus nominibus imposita. Nonnullius autem utilitatis erit, si ad nomina virorum respiciatur, ea ita dispertire ut genera e populis primo, tum deinde in singulis populis e familiis instituantur.

De nominibus virorum.

Nominibus nonnullis designantur simul et Graeci et Trojani aut Trojanorum socii.

His nominibus et Graeci et Trojani notantur :

Ἄδρηστος, rex Sicyonis, Β 572, Ξ 121, Ψ 347.

Ἄδρηστος, filius Meropis Percosii, frater Amphii, Β 830.

Duo alii Trojani Ἄδρηστος nominantur, unus, Ζ 37; alter, Π 694.

Μελάνιππος, Graecus, Τ 240.

Μελάνιππος, Trojanus, Π 695.

Πολύδωρος, Graecus, Ψ 637.

Πολύδωρος, filius Priami, Υ 407.

Δόλοψ Κλυτίδης, Graecus, Λ 302.

Δόλοψ Λαμπετίδης, Trojanus, Ο 525.

Nomen Δόλοψ invenitur etiam in nomine Δολοπίων quod certe patronymicum fuit. In Iliade vero, Hypsenor. Scamandri sacerdos, E 77, Dolopionis filius est.

*Βουκόλος e patronymicis Βουκολίων, Βουκολίδης quasi excerpi potest. Unum autem patronymicum Trojanum designat Laomedontis filium, Z 23.

Βουκολίων δ'ἦν υἱὸς ἀγαυοῦ Λαομέδοντος

Alterum, Sphelum Atheniensem, O 338 :

υἱὸς δὲ Σφήλοιο καλέσκετο Βουκολίδαο.

Βουκολίων cum olim patronymicum esset, nominis vim adeptum est; Βουκολίδης autem, patronymicorum more cum nomine conjunctum est.

Ἐχέπωλος Ἀγχισιάδης, Ψ 296, Sicyonius.

Ἐχέπωλος Θαλυσιάδης, Δ 458, Trojanus.

Καλήτωρ, pater Apharei est qui vocatur Καλητορίδης N 541.

Καλήτωρ, filius Clytii, O 419.

Ὑψήνωρ, Graecus, N 411.

Ὑψήνωρ, Dolopionis filius, E 76.

His nominibus Graeci, Trojani, Trojanorum socii designantur :

Χρομίος, filius Nelei, Δ 295.

Nomine Χρομίος Trojani duo nominantur, alter Priami filius est, E 160, alter autem ignobili loco ortus esse videtur, Θ 275.

Χρομίος, Lycius, E 677.

Χρομίος, Mysorum dux, P 218, 494, 534.

Ἀλάστωρ, Pylius, Δ 295.

Ἀλάστωρ, Trois pater, Υ 463.

'Αλάστωρ, Lycius, E 677.
'Επίστροφος, Phocensium dux, B 517.
'Επίστροφος, Halizonum dux, B 856.
'Επίστροφος, Trojanus, B 692.

Idem nomen et Graeco et Trojanorum socio est.
'Οδίος, Graecorum praeco, I 170.
'Οδίος, Halizonum dux, B 856.
Νοήμων, Pylius, Ψ 612.
Νοήμων, Lycius, E 678.
Μέδων, Oilei filius, B 727.
Μέδων, Lycius, P 216.
Κοίρανος, Cres, P 611, 614.
Κοίρανος, Lycius, E 677.
Βῶρος, Thessalus, Π 177.
Βῶρος, Maeon, E 44.
Ἤνοψ, Graecus, Ψ 634.
Ἤνοψ, Mysus, Ξ 445.

Nomina quibus Graeci demonstrantur haec sunt.

Myrmidones :

'Αγακλέης, Π 571, pater Epigei.
*Αἵμων, pater Laercis, P 467.
Βαθυκλέης, Π 594, filius Chalconis.
Βῶρος, Π 177, filius Perieris.
Εὔδωρος, Π 179, Myrmidonum dux.
Ἄλκιμος, T 392, Ω 474, 574, Myrmidon. 'Αλκιμέδων, qui in libro sexto decimo Iliadis quintam Myrmidonum cohortem ad pugnam ducit :

πέμπτης δ'[ἦρχε] ,'Αλκιμέδων, Λαέρκεος υἱὸς ἀμύμων, Π 197.

Bechtelio idem esse videtur atque Ἄλκιμος qui in libro nono. decimo Achillis equos jungit :

ἵππους δ'Αὐτομέδων τε καὶ Ἄλκιμος ἀμφιέποντες
ζεύγνυον. T 392-393.

Uterque quidem Myrmido est, Ἄλκιμος vero, qui simul atque Αὐτομέδων nominatur, auriga quidam velut Αὐτομέδων potius quam dux cohortis esse potest. Nihil enim definite demonstrat Alcimedontem Alcimumque unum et eumdem virum esse.

Phthiotes :

Ποδάρκης, B 704, N 693, filius Iphicli Phylacidae.

Pheraei :

Ἄδμητος Φηρητιάδης, pater Eumeli, B 713.
Εὔμηλος, B 714, 764, filius Admeti.

ex urbe Methone :

Μαχάων, B 732, medicus.

ex urbe Oechalia :

Εὔρυτος, B 596, 730, filius Melanei.

Ormenii :

* Ὄρμενος, pater Amyntoris, I 448.
Ἀμύντωρ, filius Ormeni, pater Phoenicis, maritus Hippodameae, I 448.
Εὐρύπυλος, filius Euaemonis, B 736, dux Thessalorum.

Lapithes :

Κόρωνος Καινείδης, B 746, pater Leontei, rex Lapitharum.

Magnetes :

Τενθρηδών, B 756, Alectoris filius, pater Prothoi, Magnetum dux.

Aetoli :

Ἄγριος, Porthei Calydonis filius, Ξ 117.
Μέλας, frater Agrii, Ξ 117.

Μελέαγρος, filius Oenei, Β 642, Oeneus autem frater est Melanis et Agrii.

Boeotii :

Πρόμαχος Βοιώτιος, Alegenoris filius, Ξ 476.

Κρείων, pater Lycomedis qui dicitur Λυκομήδης Κρείοντος υἱὸς (I 84) vel Κρειοντιάδης (Τ 240).

Ἀλεκτρυών, pater Leiti, Ρ 602.

Λήιτος, Alectryonis filius, unus e quattuor ducibus Boeotiorum, Β 494.

Thebani :

* Αἵμων, pater Maeonis Haemonidae, Δ 394.

Μαίονα, Δ 394, Thebanorum ducem.

Αὐτόφονος, pater Polyphontae, Δ 395.

Πολυνείκης, Δ 377, Oedipodis filius.

Ὀρέσβιος, Ε 707, ex Hyle.

Orchomenii :

Ἄκτωρ, pater Ascalaphi et Ialmeni, maritus Astyoches, Β 513.

Ἀσκάλαφος, Actoris filius, dux Orchomeniorum, Β 512 ; Ι 82, Ν 478, 518, 526, 527 ; Ο 112.

Phocii :

Ἐπίστροφος, Β 517, cujus pater est Ἴφιτος Ναυβολίδης.

Σχεδίος, Epistrophi frater, Β 517.

Locri :

Ἄκτωρ, pater Menoetii, Λ 785, qui Opunte, in urbe Locrorum, habitabat.

Μέδων, Β 727, filius Oilei et Rhenes in Thessaliam perfugit, et Phthiotas ducit.

Abantes :

* Χαλκώδων, pater Elephenoris, Abantum ducis, qui dicitur Χαλκωδοντιάδης, B 541. Attamen Χαλκωδοντιάδης potius ad * Χαλκωδόντιος quam ad Χαλκώδων referendum esse videtur. Omnia enim in -ιάδης exeuntia patronymica ad nomina in -ιος desinentia pertinent, Ἄσιος, Ασιάδης, Ἀσκλήπιος, Ἀσκληπιάδης, Ἀτύμνιος, Ἀτυμνιάδης. * Χαλκωδοντίδης vero quod legitimum fuisset, cum in versum induci non posset, in Χαλκωδοντιάδης mutatum est. Ejusmodi sunt Κρειοντιάδης, Λαομεδοντιάδης, Τελαμωνιάδης, Φηρητιάδης.

Salaminii :

Τελαμών, Salaminorum rex, N 177, cujus filii sunt Τελαμώνιος Τεῦκρος, Τελαμώνιος vel Τελαμωνιάδης Αἴας.

Τεῦκρος, Telamonis filius, Z 31.

Sicyonii :

Ἄδρηστος, rex Sicyonis, B 572, pater Aegiales, E 412.

Ἐχέπωλος Ἀγχισιάδης, Ψ 296, Agamemnonem equo donat.

Argivus :

Εὐρύαλος, B 565, filius Mecistei Talaeonidae, Argivorum dux.

Mycenenses :

Εὐρυβάτης, praeco et famulus Agamemnonis, A 320.

Εὐρυμέδων, filius Ptolemaei Piraidae, famulus Agamemnonis, Δ 228.

Argolici :

Ἀτρεύς, pater Agamemnonis et Menelai, B 106.

Θυέστης, Pelopis filius, Atrei frater, pater Aegisthi, B 106.

Lacedaemonii :

Κάστωρ, filius Ledae et Tyndarei, frater Pollucis et Helenae, Γ 237.

Πολυδεύκης, Castoris frater, Γ 237.

Cythereii :

Μάστωρ, pater Lycophronis, O 430; cf. Μαστορίδης Λυκόφρων, O 438.

Λυκόφρων (Λυκόφρονα Κυθήριον, O 430) filius Mastoris, famulus Ajacis.

Pylii :

Θρασυμήδης, Nestoris filius, I 81.
Χρομίος, filius Nelei et Chloridis, Δ 295.
Εὐρυμέδων, Nestoris famulus, Λ 620.
Νοήμων, Pylius, Ψ 612, comes Antilochi.
Αἵμων, Pylius, Δ 296.
'Αλάστωρ, Pylius, Δ 295.

Arcas :

'Αγαπήνωρ, B 609, Arcadum rex.

Epei :

'Αγασθένης Αὐγηιάδης, pater Polyxeni, B 624.
Πολύξεινος, Agasthenis filius, Epeorum dux, B 623.
Εὔρυτος, B 621, pater Thalpii, rex Epeorum.
"Ακτωρ, pater Amphimachi, N 185.
Ὦτος Κυλλήνιος, dux Epeorum, O 518.

Ithaci :

Αὐτόλυκος, Ulixis avus, K 267.
Λεῦκος, Ulixis comes, Δ 491.

Cretes :

Δαίδαλος, artifex Cretensis, Σ 592.
Κοίρανος, ex urbe Lycto, Merionae auriga, ab Hectore occiditur, P 611, 614.

Symes incola :

Χάροπος, B 672, pater Nirei, Symes insulae regis.

Coi :

Θεσσαλός Ἡρακλείδης, B 679, pater Phidippi et Antiphi.
Εὐρύπυλος, B 677, rex Coi.

Lemnius :

Εὔνηος Ἰησονίδης, H 468, rex Lemni.

Lesbius :

Μάκαρ, rex Lesbi, Ω 544.

Graeci ex incertis locis orti :

*Δέξιος, pater Iphinoi, H 15.
Ἦνοψ, pater Clytomedis, Ψ 634.
Πανοπεύς, pater Epii, Ψ 665.
Ἐπειός, Ψ 665, filius Panopei.
Ἀφαρεύς Καλητορίδης, I 83, N 478, 541.
Φοῖνιξ, filius Amyntoris, ex Hellade in Phthiam confugit, I 427.
Ὑψήνωρ Ἱππασίδης, N 411.
Δόλοψ Κλυτίδης, Λ 302.
Ὀδίος, Graecorum praeco, comes Eurybatae, I 170.
Ἀγχίαλος, E 609, Graecus ab Hectore occisius.
Ὧρος, Λ 303, Graecus ab Hectore occisus.
Πολύδωρος, Ψ 637, Graecus a Nestore occisus.
Μελάνιππος, Graecus, T 240.

Trojanorum nomina nunc enumeremus.

Priami filii sunt :

Ἕκτωρ, Andromaches maritus, B 807 etc., cujus filius est Ἀστυάναξ, Z 403.

Ἀλέξανδρος, alterum nomen Paridis, Γ 136 etc.

Ἀντίφονος, Priami filius, Ω 250. Incertum est idemne sit atque Ἄντιφος Πριαμίδης; Ἀντιφονος formam perfectam, Ἄντιφος

autem hypocoristicam ejusdem nominis figuram praeberet. Ἄντιφος in libro quarto in Ajacem telum conjicit.

Αἴας Διογενής· τοῦ δ' Ἄντιφος αἰολοθώρηξ
Πριαμίδης, καθ' ὅμιλον ἀκόντισεν ὀξέϊ δουρί. Δ 489-490.

Eumdem sane Antiphum Agamemnon occidit :

Ἄντιφον αὖ παρὰ οὖς ἔλασε ξίφει, ἐκ δ' ἔβαλ' ἵππων. Λ 109.

Si Ἄντιφον eumdem atque Ἀντίφονον esse volueris fingas oportet Homerum non, ut Flacci verbis utar, dormitasse, gravissimo autem somno oppressum esse, ita ut oblitus esset Antiphonum quem vivere in libro quarto et vicesimo dixerit jam in libro undecimo occisum esse.

Δῖος, Ω 251.

Μήστωρ, Ω 257.

Πολίτης, Ν 533, Ω 250, cui similis Iris ad Priamum venit.'

Χρομίος, filius Priami, Ε 160, a Diomede occisus.

Πολύδωρος Πριαμίδης, Υ 408.

Γοργυθίων, filius Priami, Θ 302.

Ἶσος, Λ 101, filius Priami, e paelice natus.

Ceteri Trojani sunt :

Ἀντήνωρ, Β 822, Ο 517, Theanus maritus, cujus filii sunt Ἀρχέλοχος, Ἀκάμας, Λαοδάμας, Ἀγήνωρ, Ἰφιδάμας, Κόων, Πήδαιος, Ἑλικάων Ἀντηνορίδης, Πόλυβος.

Λαοδάμας, filius Antenoris, Ο 516.

Ἀκάμας, Β 822, Ξ 488, Λ 60, filius Antenoris, dux Dardanorum,

Ἀγήνωρ Ἀντηνορίδης, Λ 59.

Ἀντίμαχος, Λ 123, cujus filii sunt Ἱππόλοχος, Ἱππόμαχος, Πείσανδρος.

Ἱππόμαχος, filius Antimachi, Μ 189.

Δάρδανος, Υ 215, filius Jovis, cujus filii sunt Ἶλος Δαρδανίδης, Ἐριχθόνιος, Ἀγχίσης Δαρδανίδης.

Τρώς, Υ 230-234, filius Erichthonii, rex Dardanorum, cujus filii sunt Ἀσσάρακος, Γανυμήδης, Ἶλος.

Δολοπίων, Ε 77, Scamandri sacerdos.

Ὑψήνωρ, Ε 76, filius Dolopionis.

*Ἀλάστωρ, Trois pater, Υ 463.

Τρώς, filius Alastoris, Υ 463.

*Παίων, Λ 339, 368, pater Agastrophi.

Φαῖνοψ, Ε 152, pater Thoonis et Xanthi.

Ξάνθος, Ε 152, filius Phaenopis.

Θηβαῖος, Θ 120, cujus filius est Ἡνιοπεύς.

*Μέγας, Π 695, cujus filius est Πέριμος Μεγάδης.

Φαῖνοψ, Ρ 312, cujus filius est Φόρκυς.

*Φράδμων, Θ 257, cujus filius est Ἀγέλαος Φραδμονίδης.

Βουκολίων, Ζ 23, filius Laomedontis.

Αἴσηπος, Ζ 21, filius Bucolionis.

Πήδασος, Ζ 21, filius Bucolionis.

Φύλακος, Ζ 35, cujus filius est Ἴφικλος Φυλακίδης.

Ἐπίστροφος, Β 692, filius Eueni, frater Mynetis.

Ἐχέπωλος Θαλυσιάδης, Δ 458.

Ἄβας, Ε 148, frater Polyidi, filius Eurydamantis.

Δόλοψ Λαμπετίδης, Ο 525, filius Lampi. Nominis Lampeti figuram hypocoristicam Lampum exstitisse ex hoc versu constat.

Λαμπετίδης ὃν Λάμπος ἐγείνατο φέρτατος ἀνδρῶν.

Animadvertendum tamen Λαμπίδης in versum induci non posse.

Σῶκος, Λ 428, Hippasi filius.

Χάροψ Ἱππασίδης, Λ 426, frater Soci.

Ὕρτακος, Β 837, Ν 771, Asii pater.

Ἀδάμας Ἀσιάδης, Ν 771.

Ἴμβριος, Ν 171, Mentoris filius.

Ὑπερήνωρ, Ξ 516, Ρ 24, filius Panthoi et Phrontidis.

Δόλων, filius Eumedis, Κ 314.

Καλήτωρ, Ο 419, filius Clytii.

Κλεῖτος, Pisenoris filius, O 445.

Μελάνιππος, O 547, Hicetaonis filius.

Εὔφορβος Πανθοΐδης, Dardanus homo, Π 808.

Φαῖνοψ Ἀσιάδης, P 583, cujus pater est Asius, qui Abydo venit.

Δάρδανος, Υ 460, filius Biantis, frater Laogoni.

Δημοῦχος Φιλητορίδης, Υ 457.

Haec sunt Trojanorum nomina quorum neque parentes neque filii in Iliade reperiuntur :

Οὐκαλέγων, Γ 148, senator Trojanus.

Ὀνήτωρ, Jovis sacerdos, Π 604.

Ἰδαῖος, Γ 248 etc., Trojanorum praeco.

Ἄδρηστος, Z 37, a Menelao victus, ab Agamemnone occisus, Z 51; cf. Π 694.

Ἔλατος, Z 33, ab Agamemnone occisus.

Ἀρετάων, Z 31, a Teucro occisus.

Μελάνθιος, Z 36, ab Eurypylo occisus.

Μελάνιππος, Θ 276, a Teucro occisus ; cf. Π 695.

Ὄρμενος, Θ 274, a Teucro occisus.

Ἔννομος, Λ 422, ab Ulixe occisus.

Ὑπείροχος, Λ 335, ab Ulixe occisus.

Θυμβραῖος, Λ 320, a Diomede occisus.

Πάνδοκος, Λ 490, ab Ajace vulneratus.

Πυλάρτης, Λ 491, ab Ajace occisus; cf. Π 696.

Πύλων, M 187, a Polypoete occisus.

Ὄρμενος, M 187, a Polypoete occisus.

Ἰαμενός, M 139, a Leonteo occisus.

Φάλκης, N 791, Ξ 513, ab Antilocho occisus.

Ἄδρηστος, Π 694, a Patrocle occisus; cf. Z 37, 51.

Μελάνιππος, Π 695, a Patrocle occisus ; cf. Θ 276.

Πυλάρτης, Π 696, a Patrocle occisus; cf. Λ 491.

Πρόνοος, Π 399, a Patrocle occisus.

Πύρασος, Π 491, ab Ajace occisus.

Ἄρητος, P 494, 517, 535, ab Automedonte occisus.

Δεισήνωρ, P 217, Hectoris comes.
Δρύοψ, Υ 455, ab Achille occisus.

Trojanorum socii ex Asia hi sunt :

ex Ascania :

Πάλμυν, N 792, 'Ασκάνιον τε...

οἵ ῥ' ἐξ 'Ασκανίης ἐριβώλακος ἦλθον ἀμοιβοί.

Percosii :

Μέροψ Περκώσιος, B 831, pater Hippodami, Hyperochi, Adrasti, Amphii.
'Ιππόδαμος, filius Meropis, Λ 335.
'Υπείροχος, filius Meropis, Λ 335.
"Αδρηστος, filius Meropis, frater Amphii, B 830.

Arisbe :

"Αξυλος Τευθρανίδης, Z 12.

Halizones :

'Επίστροφος, Halizonum dux, B 856.
'Οδίος, Halizonum dux, B 856.

Paphlagones :

Μύδων 'Ατυμνιάδης, Pylaemenis auriga, E 580.

Phryges :

Μύγδων, rex Phrygiae, Γ 186.
'Ασκάνιος, Phrygum dux, B 862.

Mysi :

"Εννομος, dux Mysorum, B 858, P 218.
Χρόμις, Mysorum dux, B 858.
Χρομίος, Mysorum dux, P 218, 494, 534. Incertum est an idem sit atque Χρόμις.

Ἀσκάνιος, Mysus, N 792.
Ἦνοψ, Ξ 445, pater Thestoris.
Μέρμερος, Ξ 513.

Pelasgi :

Ἱππόθοος, dux Pelasgorum, B 840, P 217, 289, filius Lethi Teutamidae.
Πύλαιος, dux Pelasgorum, B 842, frater Hippothoi.

Maeones :

Βῶρος, pater Phaesti, E 43.
Φαῖστος, filius Bori, E 43.

Cares :

Νάστης, filius Nomionis, dux Carum, B 867.

Lycii :

Σαρπηδών, B 876, etc., rex Lyciorum.
Γλαῦκος, Z 154, Sisyphi filius, pater Bellerophontis.
Ἴσανδρος, Z 197, filius Bellerophontis, frater Hippolochi.
Γλαῦκος, B 873, Lyciorum dux, filius Hippolochi, Z 119.
Ἅλιος, E 678.
Ἀλάστωρ, E 677.
Κοίρανος, E 677, ab Ulixe occisus.
Νοήμων, E 678, ab Ulixe occisus.
Πρύτανις, E 678, ab Ulixe occisus.
Χρομίος, E 677, ab Ulixe occisus.
Πελάγων, E 695, comes Sarpedonis.
*Πολυαίμων, Θ 276, pater Amopaonis.
Ἐπικλέης, M 379.
Ἀμφοτερός, Π 415.
Εὔιππος, Π 417.
Μάρις, Amysodari filius, Atymnii frater, Π 319.
Πολύμηλος Ἀργεάδης, Π 417.
Μέδων, P 216.

Quaeri potest num Trojani socios habuerint qui ex Europa venissent. Eo loco ubi legitur militum Trojanorum recensio, nominati sunt Thraces, Cicones, Paeones

> Αὐτὰρ Θρήικας ἦγ' Ἀκάμας καὶ Πείροος ἥρως
> ὅσσους Ἑλλήσποντος ἀγάρροος ἐντὸς ἐέργει
> Εὔφημος δ'ἄρχος Κικόνων ἦν αἰχμητάων
> υἱὸς Τροιζήνοιο διοτρεφέος Κεάδαο.
> Αὐτὰρ Πυραίχμης ἄγε Παίονας ἀγκυλοτόξους
> τηλόθεν ἐξ Ἀμυδῶνος, ἀπ' Ἀξιοῦ εὐρυρέοντος
> Ἀξιοῦ οὗ κάλλιστον ὕδωρ ἐπικίδναται αἶαν. B 844-850.

Thraciam autem credit Iliadis poeta situ transmarinam esse. Praetermittendum mihi videtur ἐντος ἐέργει quod obscurum sit. Graecae autem naves singulis diebus mare transeunt ut vinum e Thracia reportent :

> πλεῖαί τοι οἴνου κλισίαι τὸν νῆες Ἀχαιῶν
> ἠματίαι Θρῄκηθεν ἐπ' εὐρέα πόντον ἄγουσιν. I 71-72.

Hera cum ex Olympo Lemnum petit per Thraciam et montem Atho iter facit Ξ 225. In Odyssea dicuntur Cicones habitare in regione ubi vitis colatur, iidemque in recensione inter Thracas et Paeones locantur; eos igitur verisimile est Thraciae gentibus adscribendos esse. Poetae judicio sita est Paeonia prope Axium amnem; is autem amnis per Macedoniam fluit.

Praeterea veterum scriptorum testimonio compertum est Thracas inter et Trojanos commercium fuisse frequentissimum. E Thracia venit Dardanus a quo nomen sumpserunt Dardani[1]. Phryges Troadis gentibus annumerandi iidem sunt ac Briges[2] Macedoniae populus quidam cujus pars in Asiam migravit.

1. Apud Strabonem, VII, 49.
2. Apud Strabonem, VII, 3, 2, fragm. 25.

Itaque non incredibile est Thracas, Paeones, Cicones in Asiam Minorem ante bellum Trojanum sedes suas transtulisse. Sed quonam modo res se habeat, scriptis monumentis decerni nequit.

Id tantummodo animadvertendum est. Ubi de Thracibus Trojanorum sociis agitur, Thraces dicuntur νεήλυδες ἔσχατοι ἄλλων (K 434); νεήλυδες pariter dicuntur Rhesi equi (K 558). Nihil obstat quidem quominus eis verbis intellegatur Thraces eos, qui nuper ex Europa devenerint, Thracibus ceteris opponi quorum migratio vetustior sit. Rhesi enim equi bello nondum assueverunt et caesa corpora pedibus terere horrent (K 493); Thraces itinere longo fessi dicuntur (471). Attamen nusquam verbis haud ambiguis memoratur eos mare transiisse : ἤλυθ' K 440. In recensione Trojanorum nulla mentio est de navigatione Thracum, Paeonum et Ciconum, dum contra de Graecorum sociis expresse memoratur quot singulis naves fuerint. Sed cum poetae ipsius testimonio cotidianum esset Thraciae cum Asia Minori commercium, rem apertius exprimendi necessitas nulla erat.

De Thracibus denique agitur, omisso libro secundo in quo sunt tantummodo nominati, in libro decimo; sed cum constet eum librum libris ceteris aetate posteriorem esse, inquisitionis hujus utilitatem ita graviter deminutam esse fatendum est.

Trojanorum socii ex Europa fortasse hi sunt :

Thraces :

Ῥῆσος, rex Thracum, K 435, filius Eionei.
Ἀκάμας, dux Thracum, B 844, E 462, Z 8, Eussori filius.
Ἀκεσσαμενός, Thracum dux, Φ 142, pater Periboeae.
*Ἴμϐρασος, pater Piroi, Δ 520.
Θάμυρις ὁ Θρήιξ, B 595.

Cicones :

Τροίζηνος Κεάδης, B 847.
Εὔφημος, rex Ciconum, B 846, filius Troezeni Ceadae.

Paeones :

'Ἀστεροπαῖος, dux Paeonum, M 102, P 217, 351, 352, filius Pelegonis, Φ 140-141.

Μύδων, Φ 209, cf. 211.

Αἴνιος, Φ 210.

Nomina mulierum.

Nomina mulierum, cum Graecarum, tum Trojanarum nunc enumeranda sunt.

Mulierum Graecarum nomina quarum parentes in Iliade nominantur haec sunt :

'Ἀστυόχη, B 513, Actoris filia, mater Ascalaphi et Ialmeni ex Marte.

Αἰγιάλεια 'Ἀδρηστίνη, E 412, Adrasti filia, Diomedis uxor.

'Ἑλένη, Z 343, etc., Tyndarei et Ledae filia, Pollucis et Castoris soror, Menelai, Paridis deinde uxor.

'Ὑψιπύλη, H 469, filia Thoantis Lemniensis, Iasonis uxor, Eunei mater.

'Ἀλθαίη, I 555, filia Thestii, Meleagri mater.

Κλεοπάτρη, I 556, cognomine 'Ἀλκυόνη, filia Idae et Marpessae Eueninae, uxor Meleagri.

Λαοδίκη, I 145, filia Agamemnonis et Clytemnestrae.

Δανάη 'Ἀκρισιώνη, Ξ 319, Acrisii filia, Persei mater.

Πολυμήλη, Π 180, Phylantis filia, mater Eudori, Myrmidonum ducis.

Πολυδώρη, Π 175, filia Pelei, mater Menesthii.

Mulierum Graecarum nomina quarum parentes in Iliade non reperiuntur haec sunt :

'Ἀγλαΐη, B 672, uxor Charopis, mater Nirei.

'Ἀστυόχεια, B 658, uxor Herculis, mater Tlepolemi.

'Ἱπποδάμεια, B 742, uxor Pirithoi, mater Polypoetae.

'Ἐριῶπις, N 697, uxor Oilei, mater Ajacis.

Trojanarum autem mulierum nomina haec sunt :

Λαοδίκη, Γ 124, Priami filia, uxor Helicaonis.

'Ανδρομάχη, Ζ 395 etc., Eetionis filia, Hectoris uxor.

'Ιπποδάμεια, Ν 429, Anchisae filia, Alcathoi uxor.

Φρόντις, Ρ 40, Panthoi uxor, Euphorbi, Polydamantis, Hyperenoris mater.

Ancillarum captivarumque haec nomina sunt :

Αἴθρη, Γ 144, Pitthei filia, Helenae ancilla. Apud Apollodorum III, 15, 7 Pittheus rex Troezenis dicitur. Aristarchus autem patrem Aethrae alium hominem esse ejusdem nominis existimavit.

Κλυμένη, Γ 144, Helenae ancilla.

Ἶφις, I 667, Patroclis serva e Scyro.

CONCLUSIO

Ex inquisitione quam sumpto carmine Iliaco finibus non amplissimis circumscripsimus, conclusio oritur quae electae materiae nullo modo sit peculiaris. Cum nomina personarum permulta nobis tradidissent et scriptores et tituli, nihil prohibebat quominus ratio nomina imponendi una unique aetati tribuenda consulto seponeretur. Sed ea inquisitio de eis in Iliade personarum nominibus quae non personas tantummodo designarent nihil in lucem protulit quod non protulisset pariter inquisitio eadem aliud quodlibet opus amplexa : vix id unum asserere audeamus Graecam nomina imponendi rationem a poeta populis adhibitam esse qui genere non Graeci, immo ne Indoeuropaei quidem fortasse essent, ut verisimile est de Caribus et de Lelegibus et forsan de Lydis qui origine Semitici non temere dicti sunt, eodemque modo de Pelasgis, de Lyciis forsan et de Mysis quos Indoeuropaeos non esse constat.

Id opere nostro manifestissime comprobatum esse non immerito existimaveris, quod quidem non minus comprobaret quivis de Graeca ratione nomina imponendi inquirere voluisset, nulla scilicet aut in Graeca aut in alia lingua nomina esse quae vere propria dicantur neque aliam ob causam unquam proferantur nisi ut personas designent a ceteris personis distinctas. Quamdiu hereditate non traditur et singulis contra personis vicissim

imponitur, tamdiu nomen a vocabulo communi nullo modo differt. Ubi autem hereditate suscipi coepit, vim eamdem habet quam ea populorum nomina quibus ejusdem generis homines cuncti simul designari solent.

Rem ita se habere praecipue manifestum erit si quis, nostro more, de iis nominibus inquisierit quae eadem sint ac vocabula : idem vero non minus recte affirmabitur de eis nominibus quae jam non sint eadem ac vocabula communia aut eo sensu intellegi desierint. Eam enim differentiam aetatibus tribuere oportet : nomen idem quod decimo aevi nostri saeculo aliquid significabat, aetate nostra nihil jam significat. Inter eam nomina imponendi rationem quae Iliadis tempore adhibita est et illam quae pulcherrima Graecae humanitatis aetate viguit, id tantummodo interesse videtur quod in Graecia vetustissima nominum significatio magis intellegeretur vel sentiretur, dum Graecis posterioribus sonum magis quam notionem secum ferrent nomina vel significantissima. Attamen nulla vel diligentissima inquisitione constitui potest certa ejus differentiae notio.

Illi autem nominum generi quod inquisitione nostra contulimus id peculiare est quod nomina sic collata cognominum more, per multas aetates non aegre intellecta sunt quia ex ipso linguae fundo effloruerunt.

Sed ob eam praecipue causam quod facile intelleguntur, suspicio quaedam potest oriri non veram esse interpretationem quae cogitanti obvia est. Si quis enim animadverterit quovis tempore scriptum esse credatur carmen Iliacum quale ad aetatem nostram traditum est, nomina imponendi rationem in Iliade assumptam ea aetate effloruisse qua, humanitate ad perfectionem quamdam progressa, jam cum peregrinis commercium non rarum esset, aegre intelleget omnino simplicem unamque exstitisse rationem illam quam diversitate quadam magis admixtam multi reperire vellent. Unde suspicandum est populari consuetudine verba alia ab aliis informandi, cujus vis tum praecipue summa est cum de nominibus propriis agitur,

inter nomina vetustissima plurima forsan ideo corrupta esse ut et formam inducerent ab aetate recentiori minus abhorrentem et facilius intellegerentur. Apud nos enim, quamvis nomina sint hereditaria, antequam summa diligentia perscriptae sint tabulae publicae, ejus generis mutationes non fuerunt inusitatae. Itaque idem in Graecia evenisse non sine causa credatur. Est enim manifestum, nomen donec non fuerit hereditarium natura sua omnino mobile fuisse ita ut multitudini, si quando nomen ullum non intellegeretur, summa licentia esset nomen alterum quod statim intellegeretur et sono non esset absimile in locum ejus inducendi.

Praeterea omnibus operis nostri partibus comprobatur nihil magis absurdum fore quam si quis existimaverit certis quasi finibus separari posse hinc nomina imponendi rationem apud Graecos usitatam, illinc aut eam quae in Gallia nostra viguerit aut aliam quamlibet. Quas enim rationes ita separari volueris sunt re vera eaedem, nec satis est, ut jure illa separatio instituatur, Graecos articulo cum nominibus usos esse et paulo severius apud nos quam apud Graecos asservari nominis hereditatem. Novo igitur argumento confirmatur numero non infinitam esse cogitandi et classes instituendi varietatem ita ut inter Indoeuropaeos saltem nusquam non reperiatur eadem res exprimendi ratio.

ADDENDA

Haec addenda sunt :

P. 40^a, l. 15^a, epithetum fluminis viri nomen esse videtur :

εὔρυτος, limpidus, apud Euripidem, *Iph. A.* 420, persimilitudinem de homine dici potuit.

Εὐρύτου, regis Oechaliae, B 596, 730 ; Epei, B 621.

P. 44^a, l. 24^a.

ἀκάμας, indefessus, Π 823.

'Ακάμας, dux Dardanorum B 823, Λ 60, M 100, Ξ 476, 478, 488, Π 342 ; Thracum dux, B 844, Z 8.

P. 51^a, l. 7^a.

Utrum ἐλατός, ductilis, ad hominem transferri potuerit, an virilis forma sit vocabuli ἐλάτη, quod abietem significat, incertum est. Ἔλατος autem Trojani nomen est, Z 33.

P. 57^a, l. 26^a. Ad rem boariam nomen unum pertinet.

βουκόλος, bubulcus, O 587.

*Βουκόλος, pater Spheli, O 338.

P. 64^a, l. 14^a. Forsitan ex collatione pulchrae mulieris cum serenitate caeli, Graece αἴθρη, P 646, ortum sit nomen :

Αἴθρη, ancilla Helenae, Γ 144.

P. 59^a, l. 20^a, lege ἀλκυών.

INDEX VERBORUM

Imp. Fr. Simon, Rennes (2555-96).